QUÆ DISPUTATIONES

DE EDUCANDO DELPHINO

SECUNDO LUDOVICI XVI FILIO

HABITÆ ESSENT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

M. PELLISSON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOC., BIBLIOPOLAS

15, VIA VULGO DICTA DE CLUNY, 15

1895

QUÆ DISPUTATIONES

DE EDUCANDO DELPHINO

SECUNDO LUDOVICI XVI FILIO

POITIERS. — TYP. OUDIN ET Cie.

QUÆ DISPUTATIONES

DE EDUCANDO DELPHINO

SECUNDO LUDOVICI XVI FILIO

HABITÆ ESSENT

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI PROPONEBAT

M. PELLISSON

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

PARISIIS

APUD LECÈNE, OUDIN ET SOC., BIBLIOPOLAS

15, VIA VULGO DICTA DE CLUNY, 15

1895

MEMORIÆ

CONSPICUI OPTIMIQUE VIRI

É. BERSOT

SCHOLÆ NORMALIS OLIM RECTORIS

HOC QUALECUMQUE EST

PII GRATIQUE ANIMI MONUMENTUM

D. D. D.

M. PELLISSON.

PROŒMIUM

Postquam in Tabulario nonnullos de Delphino, secundo Ludovici sexti decimi filio, educando nondum editos reperimus codices, et in bibliothecis quosdam de eadem quæstione raros inventu libros excussimus, et apud diurnam actorum scripturam quædam indagavimus aut omissa aut ignota, operæ nos pretium existimavimus facturos esse, si hunc locum nostrarum historiarum parum ad hanc diem tritum exploraremus. Quamvis huic libello titulus « *de educando Delphino* » inscribatur, quæstionem quam tractandam suscipimus, vix ad artem educandi pertinere fatendum nobis est. Non hic enim quæ ratio studiorum puero regio accommodanda sit præcipue exquiritur. Quod quidem nonnulli inter eos, de quibus mentionem facimus, attigerunt, sed raptim, ut ita dicam, et obiter ; plerique autem, qui de institutione Delphini disputaverunt, ad id potius ut definirent quæ esset regiæ potestatis natura præscriberentque quem penes jus puerum regium educandi, quæ regum erga cives officia, animum intenderunt.

Hoc igitur in opusculo potius, quid nostri majores senserint de civitate in melius commutanda,

quam quid de institutione puerorum regiorum emendanda disputaverint, examinamus; unde fit ut nostra materia forte non omnino indigna sit quæ viris nostrarum historiæ rerum deditis proponatur.

CAPUT PRIMUM

SUMMA. — I. Quibus de causis, intra triennium quod ab anno 1789 usque ad annum 1792 intercésserit, quomodo Delphinus et educaretur et educandus esset, omnibus curæ fuerit. —II. Sperat primum populus fore ut Ludovicus nova disciplina filium informare velit. — III. Quæ vitia institutionis pueris regiis olim accommodatæ eo tempore notata sint. — IV. Pollicetur rex se filium ita educaturum esse ut novum rerum ordinem amplectatur (4 feb. 1790). — V. Quare regis populique consensus diuturnus esse non potuerit. — VI. Animadvertunt cives spem regni futuri summam dari in aleam, si jus Delphini ad arbitrium educandi soli Ludovico permittatur : a notissima femina opusculum editur quo, ut populus institutioni pueri regii tanquam testis et judex præsidere possit, efflagitat (mense Junio 1790). — VII. A summo viro, nomine Mirabeau, oratio de educando Delphino composita in breve cogitur : qui sint regiæ potestatis fines, quæ regum officia, definire tentat; puerum regium ita instituendum esse censet ut, et Ludovicus patriam potestatem retinere, et legati civitatis personam gerentes institutioni Delphini præesse aliquatenus possint (exeunte anno 1790).

I

Si quis nostros annales vel raptim evolverit, omnibus, intra triennium quod ab anno 1789 usque ad annum 1792 intercessit, non modo summis viris, sed etiam infimo cuique, quomodo Delphinus et educaretur et educandus esset, curæ fuisse animadvertet. Quod sane mirabitur, quum Gallos paulo post regium imperium sustulisse et Ludovicum sextum decimum capitali supplicio damnatum

esse meminerit. Quomodo igitur potuerit fieri ut populus ille, quanquam jam in eo esset ut regibus voveret odium inexpiabile, per tres tamen annos quadam sedulitate regni heredem foveret, inquirere ante omnia non supervacaneum est.

Postquam apud Gallos, septimo decimo sæculo, potestas regia eo perducta est ut regis omnia ditione sua tenentis ex nutu tota penderet respublica, fuere qui, ut solido firmamento fulcirent imperium istud immodicum, reges ministros et quasi legatos Dei ipsius esse contenderent. Qui quidem non intolerandam civium dominationem a Deo regibus traditam, sed tutelam asseverabant ; nulli autem nisi Deo rationem rerum administrationis a rege deberi fatebantur.

Quæ opinio, si quando apud Gallos prævaluit, per admodum breve tempus apud populares videtur viguisse. Duodevicesimo enim sæculo, quum plurimi scriptores civilium institutorum fundamenta studiose accurateque rimati, quæ regiæ potestatis origo naturaque esset audaci indagatione disquisivissent, sensim fere inter omnes constitit regium imperium non a Deo, sed a judicio ac voluntate civium manare, et nullam, nisi quam a populo accepissent potestatem, reges legitime exercere posse ; mox etiam quum mense Julio, anno 1789, famosum illud expugnatum fuisset castellum, quod quidem pro arce regiæ superbiæ prærupta habitum fuerat, re atque eventu se vere rerum dominum factum esse populus sensit.

Haud tamen continuo totam sibi potentiam voluit vindicare ; quum, aut regium imperium omnino tollere, aut in Ludovici sexti decimi locum alium regem posset supponere, utroque abstinuit. Quamvis enim Borbonii multa utilitati libertatique publicæ contraria admisissent, Gallis longa dominationis patientia velut in pietatem erga gentem illam verterat ; et plerique civitatis fortunam ab avitis regibus disjungi nefas esse ducebant (1). Ceterum hinc populus, ut fieri solet, novas res cupiebat idem et metuebat ; illinc forsitan nescio quo gaudio inscii cives perfundebantur, quod sua vicissim in ditione illos reges tenerent, quorum arbitrio tamdiu obnoxii fuissent.

Utcunque se ea res habuit, ubi Ludovicum sextum decimum per benevolam tantummodo popularium indulgentiam regnum jam retinere sibi persuaserunt, fixum destinatumque id in animo habuere ut ratio ususque regnandi omnino mutaretur. Unde ad puerum regium, cui Delphini titulus,

(1) « Nemini civitatis popularis formam eo tempore placuisse satis constat ; cujus ne mentio quidem facta est apud illos libellos in quibus civium querelæ votaque exponuntur et qui gallice « *cahiers* » vocantur. Cœtus ipse Jacobinorum per tres fere annos ad nihil aliud, nisi ut regia potestas legibus temperaretur, elaboravit. (AULARD, *La Révolution française*, tome XXII, p. 113.) Imo vix decem civitatis popularis fautores post mensem Julium anno 1789 exstitisse auctor non spernendus asseverat : « Nous n'étions peut-être pas à Paris dix républicains le 12 juillet 1789. » (CAMILLE DESMOULINS, *Histoire des Brissotins*....... De l'imprimerie républicaine et patriotique.... 1793, in-8.)

summa cum exspectatione se converterunt ; in eo spes maximas libertatis felicitatisque publicæ reposuerunt. Quæ ne in irritum caderent, puerum illum nova disciplina informandum, novis artibus moribusque instituendum haud immerito sunt arbitrati.

II

Primum vero nullo ab alio, nisi ab ipso Delphini patre, quæ optabat aut flagitabat, exspectare populus visus est. Nimirum Ludovicus sextus decimus, vel postquam Lutetiæ seditio exarserat, admodum acceptus popularibus esse non desiit. Narrabant quanta morum integritate et castitate viveret ; memorabant, eo auctore, trium ordinum concilium advocatum esse. Post illam inclytam mensis Augusti noctem, qua tres illi ordines velut in unum coaluerant, illi *Restitutori publicæ libertatis* cognomen inditum erat ; imo etiam postquam, mense Octobri, Versalicæ regiæ fores turba irruperat, et regem, velut captivum, Lutetiam se conferre coegerat, nondum a Ludovico plebis gratia descivit ; quum, ut a summo Urbis magistratu exceptus est, festis omnium vocibus plausibusque per vias plateasque usque ad regias ædes deductus sit.

III

Insuper animadvertendum est, quum populus

etiam tum recens, ut ita dicam, a victoria esset, fere nullum exstitisse qui, quid possent aut vellent partes populares, satis enucleate perspiceret. Magis priora tempora damnabant quam formam futuri imperii animo præcipere et præscribere poterant. Quapropter, quum de Delphino educando agebatur, artes quibus ad hanc diem exculti fuissent pueri regii omnino mutandas nonnulli profitebantur ; quam autem effigiem disciplinæ institutionisque regali heredi accommodatæ sibi in animo fingeret, nullus exprimebat. Hic librum edebat (1) in quem ex libellis quondam de institutione regiorum puerorum scriptis excerpta collegerat, ubi vero nihil fere reperire est præter locos communes de humanitate qua reges erga populum uti debent ; vix enim in notula imæ paginæ inserta vividioribus verbis pravos regum educatores educatricesque qui alumnos nihil nisi frivolas nugas docent imparesque rei publicæ muneribus efficiunt, lacessere audet. Ille, clancularius quidem, liberiore sese effert audacia ; non jam in commune disserit, sed quosdam nominatim increpat et insectatur quod, superbiam pueris regiis insitam fovendo, eorum animos amore impotentissimæ dominationis infecerint. Quem locum, ut qui nervosam quamdam vehementiam exhibeat, hic latine redditum laudare

(1) Illius libri hic titulum expresse redditum afferamus : « Nouvelles pièces intéressantes servant de supplément à tout ce qu'on a publié sur les Etats généraux et sur l'éducation des princes destinés à régner. » (1789, 2 vol. in-8°.)

libet : « Nimis verum est sæpissime puerorum re- « giorum animos a pravis magistris stultissima « superbia et summo generis humani contemptu « imbutos fuisse. Quis credat magistrum, Ludovico « sexto decimo educando præfectum, fœda cum adu- « latione ultro petivisse ne sibi, coram discipulo, « operto sedere capite liceret ? Quis credat magis- « trum istum, vel potius famulum, quum podagra « laboraret, voluisse in pulvino, genibus flexis, « permanere, ne parum regiam sobolem, si accum- « beret, revereri videretur ? Heus tu, miser, non istis « assentationibus, sed magnis virtutibus, sed egre- « giis præceptis exemplisque vere regem coles, « qui tibi filium suum educandum credidit. Eia age, « jam sede ; quasi a morte revocatum nobis exhibe « Fenelonem, et, nulla mora, puer regius tua, ve- « lut ex ore vatis expressa, verba excipiet ; jam « Telemachus ille alter in complexum Mentoris sui « libens properabit. Nonne contra omnino miran- « dum esset, si pueri, quos a teneris unguiculis « turba servorum, genibus provoluta, superstitiosa « religione excoluisset, se loco deorum, ceteros « autem homines loco pecudum esse, non arbitra- « rentur ? — Ludovicus noster, qui hodie regnum « obtinet, quum sensus humanos vel in summo « potestatis fastigio semper retinuerit, procul a « priore filio suo omnem istum servilem apparatum « submoveri olim jussit. Quod sane laudandum ; « sed ultra progrediendum est. Omnia in hoc puero, « qui heres regni factus est, educando adulationis

« vestigia, omnes aulicæ artes aboleantur; huic « puero, qui olim populum liberum recturus est, « non alia quam ceteris pueris disciplina convenit. « Civitati administrandæ viro, non homunculo, « blanditiis assentatorum corrupto, opus est ; vi« riliter ergo educetur est necesse (1). »

IV

Ejusmodi verba, licet concitato impetu emissa, non ea tamen erant quæ, si Ludovicus legisset, pergraviter eum offendere potuissent. Quemadmodum semper a fastu superbiaque ipse abhorruerat, ita profecto, ut pueritia filii ab assentatorum aulicorum peste defenderetur, toto animo semper exoptavit. Itaque quum, ineunte

(1) *Gazette nationale* ou *Moniteur Universel*, 12 octobre 1789. Quamvis diurni commentarii, quibus ille titulus inscribitur, non ante vicesimam quartam diem Novembris mensis anno 1789 in lucem editi sint, et quidquid ante illam diem actum est scriptor postea, anno Reipublicæ conditæ quarto, paginis non in ipso temporis articulo scriptis narraverit, illa tamen, quæ hic laudamus, verba anno 1789 prolata esse nobis videntur.

Cum illis verbis conferre libet hunc locum sane lepidum vehementemque : « Tant que les enfants des rois seront élevés sur les degrés du trône, livrés à des instituteurs courtisans, nourris de ces leçons qui font les rois par la grâce de Dieu et non par la grâce du peuple, complimentés dès le berceau par les robes rouges et les soutanes violettes, qui s'empressent d'aduler bassement l'auguste marmot; tant qu'on ne dira pas du prince héréditaire comme Henri IV de son fils, *cet enfant est à tout le monde*, que la nation n'aura pas le droit de diriger exclusivement son éducation, de

anno 1790, medios ad legatos Gallicæ gentis personam gerentes sese contulisset, postquam se novam rei publicæ constitutionem observaturum esse promisit, insuper fore ut Delphinus secundum popularium voluntatem educaretur verbis, quæ habuisse ex animo videtur, pollicitus est : « Filium meum, inquit, in hoc, ut in omni re, conspirante mecum regina, mature ita educandum curabo, ut novum rerum ordinem, qualem ratio temporis postulaverit, declarata voluntate amplectatur. Eum consuefaciam ne alia adversa aut secunda sibi et popularibus ducat ; et, postquam, me hortante despectisque adulatorum consiliis, rei publicæ constitutionem vestra prudentia paratam sibi rerum adhuc imperito et rudi summæ utilitatis fore senserit, amorem ac pietatem, quibus Galli per tam longam annorum seriem reges suos prosecuti sunt, justa quadam libertate magis etiam commendari plane intelliget. »

Testatur quidam (1), qui regem loquentem audi-

l'arracher de la cour et du sein empesté de la flatterie dont il suce la maxime avec le lait, il sera impossible aux rois de n'être pas ce qu'ils ont toujours été. » (C. DESMOULINS, *La France Libre*, 4e éd., Paris, Garnery. An I de la Liberté, in-8.)

Memorandum esse etiam librum quemdam, anno 1790 editum, sed jam anno priore, ut scriptor fatetur, compositum non obliviscemur, cui titulus : « *Démétrius* ou l'*Education d'un Prince*, ouvrage en vingt livres par M. Chambert, avocat au parlement, Paris, chez Debure l'aîné, MDCCXC.

(1) « A ces mots, où les sentiments les plus tendres de la nature se mêlaient dans la bouche du roi aux vertus sociales

vit, Ila verba incredibili adstantium favore esse excepta. In omnium vultu spes elucere; ex omnium oculis præ gaudio lacrymæ elici. — Nonnulli desiderabant hunc abesse puerum, quod pater, futura quasi ominatus, summam omnibus jam exspectationem moverat. Sed, quum placuisset regem a nonnullis legatis domum deduci, ei obviam comitantibusque regina cum liberis suis venit. Quæ, ut hanc catervam adiit : « En, inquit, meum vobis filium trado. Quem, quoniam cum rege, conjuge meo, ab omni parte consentio, ita edocebo ut libertatis publicæ et amator et propugnator in futurum evadat. » Quæ, ubi per plebem percrebuere, continuo viæ omnes lætis resonare vocibus, et æs omnibus in templis tinnire, et urbs tota festis luminibus collucere ; adeo societatis civilis nova fundamenta non in præsens modo, verum etiam in futurum, jam stabilita esse omnes existimabant (1).

les plus sublimes, à ces mots, où l'on voyait la félicité des générations futures sortir de cette époque de régénération et de gloire, tous les yeux ont été couverts de larmes, et les cris n'étaient presque plus que des sanglots. Peut-être il manquait encore à ce spectacle, où se rassemblaient tant d'émotions, et l'enfant auguste et la mère que ces paroles ont rappelés ; mais leurs images, pour ainsi dire, ont entouré en ce moment le monarque...... » (*Journal de Paris*. Vendredi 5 février 1790.)

(1) Ferunt nonnulli regem tunc in eo fuisse ut virum populo admodum acceptum, nomine Bailly, præceptorem filii sui eligeret. (*Correspondance secrète* publiée par H. de *Lescure*, t. II, p. 423.)

V

Hic vero regis populique consensus diuturnus neque fuit neque esse poterat. Ut spretæ suæ a civibus rebellantibus majestatis una aut altera die oblivisci Ludovicus visus est, ita ex illius memoria contumeliæ, quas nonnunquam pertulerat, haud omnino exciderant. Quod occultum vulnus, qui sese regi amicissimos esse jactabant atque ejus lateri semper adhærebant, alere, ut ita dicam, atque exacerbare summopere nitebantur. Hinc quotidie in concilio legatorum pauci quidam rabulæ magna cum vociferatione de regia potestate jam actum esse clamitabant; illinc patriciorum ille globus, qui exsulatum sponte ierat, Ludovici vicem, tanquam captivus esset, dolebat. Neque verbis tantum illi aut scriptis rerum novarum fautores increpabant, sed, ut libertatem nuper a Gallis constitutam armis everterent, cum gentibus regibusque externis societatem inire conabantur et se cuncta enixe facturos ut regem e faucibus populi eriperent palam dictitabant. Inde conjurationum aut repentini in Galliam hostium impetus perpetui rumores spargebantur; inde civium sine ulla intermissione trepidi atque anxii animi.

Qui, quum ad regem se convertebant, non satis unde metum depellerent reperiebant. Ille enim tunc temporis quædam de conditione sacerdotum a legatis decreta iniquo animo ferebat, nec modo quæ sui

juris esse existimaret ab illis injuria occupari stomachabatur sed etiam mordebatur conscientia quod decreta illa a Summo Pontifice improbata sanxerat. Quamobrem, præterquam quod patricios optimatesque, qui inter cognatos affinesque erant aut in familiaritatem magna ex parte accepti, molestos minime poterat habere, quomodo ex animo consilia improbasset, quibus perfectis a se integram suam potestatem recuperatum iri et damna christianæ religioni illata resarciri posse sperabat ? Itaque, dum per istas ambages versabatur, sensim, quam sibi præstruxerat, fides popularium imminuta, illiusque omnia facta dictaque a civibus, velut a custodibus, deinceps observata sunt.

VI

Tunc primum spem regni futuri summam dari in aleam, si jus Delphini ad arbitrium educandi Ludovico sexto decimo permitteretur, animadverterunt ; et necesse esse ut populus, quemadmodum puer regius institueretur, posset inspicere pluribus in mentem venit. Quam sententiam fuse explicatam argumentisque confirmatam apud libellum mense Junio aut Julio, quantum conjectura consequor, anno 1790 editum, reperimus (1).

(1) *Discours sur l'éducation de M. le Dauphin et sur l'adoption*, par M^me^ de Brulart, ci-devant M^me^ de Sillery, gouvernante des enfants de la Maison d'Orléans. Paris, Onfroy, 1790, in-8. »

Hunc insuper titulum interiorem legere est :

Vivebat eo tempore mulier quædam, ingeniosa quidem, cujus nomen jam notissimum vel, potius, ut quidam aiunt, famosum erat et quæ, quidquid ad puerorum institutionem pertinebat, veluti proprium ac peculiare sibi vindicabat : adeo ut liberos ducis Aurelianensis, non educatricis sed *educatoris* titulo decorata, omni doctrinarum genere excolendos tunc regeret ! Quæ, quum inter viros vitam degeret, qui attentissime negotia publica observabant, et regis dicta factaque speculabantur, occasionem de educando Delphino disserendi sibi oblatam non arripere non poterat.

Exorditur affirmando se hoc maxime cordi habere ut populum hortetur ad jus præclarissimum et maximi momenti usurpandum, scilicet ut institutioni principis tanquam testis et rector et judex præsideat : prout enim male aut bene pueri regii disciplina cesserit, res adversas aut prosperas civitati secuturas :

« Nulli autem gravius quam præceptori regalis
« heredis onus incumbere ; nulli etiam sæpissime
« minus gloriosum ; quippe qui, si recte fecerit,
« nullam suæ operæ apud plebem gratiam, quum

« *Discours* dans lequel on prouve qu'une nation libre a le droit de surveiller l'éducation du prince qui doit la gouverner; qu'elle en doit connaître tous les détails; que les moyens de lui donner journellement cette connaissance sont simples et d'une facile exécution; et que, sans cette condition équitable et nécessaire, toute législation contraire au despotisme sera privée de la seule base qui puisse la rendre inébranlable. »

« intra domus regiæ penetralia contineatur, pos-
« sit sperare ; quo non semel factum sit ut non-
« nulli faces ambitionis suis alumnis subderent,
« ut qualemcumque famam ipsi adipiscerentur.

« Illud sane periculum perspicue Sueciæ legatos,
« olim anno 1756, pervidisse ; erravisse autem
« illos, quum, quæ via ratioque disciplinæ regio
« puero accommodandæ adhibenda foret, præ-
« scribere tentavissent ; qui scilicet, quum patris
« regnantis auctoritati filium regnaturum omnino
« subriperent, potestatem simul paternam re-
« giamquè adspernari viderentur.

« Quem errorem apud Gallos vitandum esse ;
« ne quid regi potestatis patriæ detrahatur ; opor-
« tere sui filii præceptorem possit eligere, atque
« institutioni rationem adhibitam inspicere.
« Quum vero maxime populi liberi referat nosse
« quemadmodum pueri regii mores animusque
« informentur, ne ipsis civibus, quod propositum
« in educando discipulo regalis heredis præ-
« ceptor persequatur, quibus artibus utatur,
« plane discernendi facultas desit. Necesse enim
« esse in civitate libera omnia palam fiant.

« Quomodo autem omnia, quæ ad Delphinum
« instituendum spectent, hanc examinandi et per-
« pendendi facultatem populus usurpare possit,
« haud difficile repertu. Ante omnia ratio studio-
« rum per partes singulas accuratissime a præcep-
« tore digesta, publice mandetur typis et in vulgus
« emittatur. Insuper ille, quibus laboribus quæ-

« que hora diei absolvendis insumatur, quæ lecta
« sint vel composita, quantum corpus pueri regii
« creverit, quantum animus profecerit, quotidie
« in tabula referat, quam quotquot mensibus in
« manus hominum daturus sit. In altera tabula
« quæcumque Delphinus excerpserit, quæ ipse
« conceperit ac scripserit, quæ magister notaverit
« laudaveritve, contineantur atque hæc omnia po-
« pularium notitiæ tradantur.

« Sic Delphinum pro comperto habentem quid-
« quid dixerit feceritve non aures oculosque
« hominum effugere posse, nihil antiquius habi-
« turum esse quamut omnium existimationi satis-
« faciat ; sic eo magis civibus dilectum fore quod,
« ut ita dicam, ante illorum ora creverit ; sic de-
« nique præceptorem suorum meritorum quod-
« dam præmium sperare posse, quum jam non
« totam operam suam intra ædium regiarum pe-
« netralia, omnibus insciis, insumpturus sit. »

Quot puerilia et scholastici cujusdam somniis similia in hoc libello, quem supra in breve coegimus, inveniantur ostendere profecto supervacaneum est. Quæ omnia nimirum oblivione mox sepulta sunt ; non totus tamen illius, quæ has paginas scripserat, irritus periit labor. Prima nempe admonuerat populum ut educationi Delphini interesse vellet ; quo ille in proposito jam abhinc pertinaciter mansit.

Quum, mense Julio, ab omnibus partibus Galliæ acciti cives, ut fœdus amicitiæ inter se facerent,

Lutetiam concurrissent, iterumque coram immensa multidine in Campo Martio circumfusa Ludovicus jurejurando confirmavisset se novam reipublicæ Constitutionem religiose observaturum esse, summa quidem lætitia et alacritate verba regis fuerunt excepta ; quin etiam ubi regina Delphinum e gremio sublevatum circumstantibus ostendit, omnium sane moti affectus mollitique animi. Sed quo manifestiorem erga Delphinum voluntatem cives exhibebant, eo magis suspectos habebant eos quibus hujus pueri institutio tum credebatur ; iniquo enim animo ferebant se neque eos eligere potuisse, neque ullam apud electos auctoritatem habere. Inde non semel apud diurna scripta quemdam presbyterum quem, ut litterarum elementa filium doceret, Ludovicus designaverat, dicteriis lacessitum jam videmus (1).

VII

Eo fere tempore, vir ille summus, qui inter rerum novarum molitores ab initio primas partes tenuerat, et, quum consiliorum de rebus publicis calliditate, tum eloquentiæ quasi fulmineo impetu maximam apud plebem gentisque personam gerentes legatos sibi gratiam aucto-

(1) « On nous assure qu'un certain abbé d'Avaux, sous-instituteur de M. le Dauphin, infecte l'âme innocente de cet enfant par la lecture régulière qu'il lui fait chaque jour de la *Gazette de Paris* et d'autres journaux anti-constitutionnaires et anti-nationaux. Si ce fait est exact, le sieur d'Avaux

ritatemque conciliaverat, ratus civitatem, dum veteris reipublicæ formæ fautores per minas aut artes occultas seditiosissimi cujusque furoribus imprudenter materiam præberent, in eo discrimine versari ut discordia licentiaque dilaberetur, tanta mala omni ope atque opera prævertendi consilium cepit. Regiam igitur potestatem legibus ita constituere et moderari, ut libertatis simul pacisque civilis velut fundamentum fieret, meditabatur. Quam autem arduum esset res illas ad hanc diem dissociabiles conciliare, quamdiu Ludovicus sextus decimus regnaturus esset, non illum fallebat; regem enim neque a veteribus amicis deficere velle, neque injurias a plebe sibi illatas posse oblivisci, plane videbat. Quum tamen

prépare bien des chagrins à son élève; car la nation continuant d'année en année à s'éclairer sur ses droits et sur les grands principes des gouvernements, il se trouvera que l'héritier de la couronne aura été instruit précisément en sens contraire; et alors, l'éducation nationale étant tout à fait opposée à l'éducation royale, il faudra voir laquelle des deux triomphera. Le sieur d'Avaux serait donc très coupable de tromper ainsi la jeunesse du Dauphin, surtout d'après les promesses que sa mère a faites à la nation sur l'éducation de son fils. » (*Annales patriotiques et littéraires*, 27 septembre 1790.) — «..... Eh! bon abbé...... prêtez votre serment civique; vous le devez comme fonctionnaire public, comme attaché à l'éducation de l'enfant de la patrie, de l'héritier du trône. Nous nous intéressons beaucoup à vous, cher abbé, parce que la reine nous a promis solennellement et en présence de nos augustes représentants, qu'elle ferait élever son fils dans les principes de la Constitution décrétée par l'Assemblée nationale. » (*Annales patriotiques et littéraires*, 31 déc. 1790.)

omnium exspectationem ad Delphinum converti animadverteret, non incepto destitit, speravitque fore ut, ubi cives regalem heredem ex sententia sua institutum viderent, spe regni futuri freti inquietis animis mitigarentur.

Itaque tribus orationibus, quas de Gallis publice instituendis scripserat, quartam de Delphino educando adjecit (1); opus quidem nimia festinatione, ut ipse fatetur, peractum, haud tanto tamen oratore indignum et in quo plura elate dicta et ingeniose cogitata reperias.

Conditionem regum apud Gallos nuper omnino mutatam esse vividis verbis commonstrat :

« Reges diutius sui ipsorum mancipii quasi natu-
« rali lege nationes esse, sibi rem publicam veluti
« prædium villicandam, cives veluti pecudes pas-
« cendos persuasum habuere... Hæc autem nobis
« jam tempora effluxerunt. Nunc novimus ubi sit
« legitimi imperii et fons et principium ; nunc jura
« hominum expresse concepta non jam philoso-
« phorum videntur somnia, sed in omnium usu
« posita sunt. Quum regem rei publicæ esse, ne-
« dum res publica sit regis, asseveramus, quum
« principes ob hoc unum a civibus esse institutos,

(1) « Travail *sur l'Education publique, trouvé dans les papiers* de Mirabeau l'aîné, publié par P.-J.-G. Cabanis, docteur en médecine, etc. Paris, de l'Imprimerie nationale, 1791, in-8. »

Ille liber circa mensem Septembrem anno 1791 editus est ; qui vero edidit, nos notula admonet *orationem de educando Delphino* octo ante menses perscriptam fuisse.

« ut communi utilitati inservirent, et a civibus
« semper et mutari aut de integro renovari civi-
« tatis constitutionem posse, non quidem nos fugit
« ejusmodi opinionem, vel apud philosophorum
« libros expressam, audaciorem nuperrime videri
« potuisse; quæ quidem nunc vulgata fere in pro-
« verbii consuetudinem venit. »

Ut vero a Gallis immodicam regum dominationem jam non tolerari posse pro comperto habet, ita omnes, qui recte sapiant, regiam potestatem retinendam esse arbitrari contendit; exponit enim qui Galliæ fuerit, anno 1789, status, qui civium affectus; quos quidem legatos perspicere potuisse commemorat :

« Hinc immensa incolarum multitudo et magni
« imperii moles, quæ non nisi multis et artificiose
« compositis machinis librari posset; ingens, ut ita
« dicam, corpus cujus membra sine magno labore
« apte inter se cohærere et concinne moveri ne-
« quirent; multa cum gentibus externis pacta nego-
« tia, quorum ratio habenda esset, ut quid domi
« commode fieri liceret, discerneretur; illinc prin-
« ceps omnibus, quamvis illius nomine multa
« injuste ac tyrannice admissa essent, dilectus;
« omnibus, quamvis illius ante oculos multi pecu-
« latum fecissent, probatus; glorioso honesti viri
« titulo tam unanimo consensu decoratus, ut, ve
« ab indignis septus ministris, optima cogitare ac
« cupere videretur; populus denique, qui, velut
« natura duce, quanti momenti esset in unum sum-

« mam imperii vergere, intelligebat; qui, cum phi-
« losophis, nihil popularius esse quam regiam
« potestatem, si modo certis definita esset terminis,
« nihil contra imperiosius quam meram plebis
« dominationem arbitrabatur. »

Nonnullos quidem esse addit, qui regem nihil amplius posse quam lignum nervis alienis ductum jam nunc exoptent :

« Me sane non fugit quosdam esse qui, regem
« ignavo munere quasi inclusum nihil aliud quam
« legibus parendum esse curare, velint; quorum
« certe parvi refert utrum necne regnum adipis-
« centi virtutes suppetant. Leges enim sine illius
« ope conduntur, sine illius judicio omnibus nume-
« ris absolutæ fiunt; erga illos pari tenetur obse-
« quio quam cives quibus imponuntur. Nihil sua
« sponte cogitat, nihil decernit; ne suo quidem
« nomine quidquam agere potest, quum illius om-
« nia, vel levioris momenti, jussa, ab aliquo ex
« ministris suis subscribenda sint.... unde fit ut,
« quum nec cogitare quidquam nec decernere, nec
« exsequi quod cogitaverit decreveritve valeat, nihil
« fere humanæ naturæ retineat, nullus, ut ita dicam,
« fiat, neque virtutibus egeat, quibus uti nunquam
« possit. »

Tum vero orator noster aliam naturam, aliam esse debere vim regiæ potestatis contendit; quam, quasi interpres omnium sit, definire aggreditur.

« Per unius summum imperium solummodo
« effici posse ut magna civitas satis industrie admi-

« nistraretur, ego continuo asseveravi ; ego juris « a civibus vindicati acerrimus propugnator, re- « giam tamen potestatem tutissimam esse publicæ « libertatis arcem idem existimavi. Itaque quum « præviderem corpus legislatorum sine tempera- « tore et moderatore posse transversum agi, eum « arbitratus sum cui publicorum negotiorum admi- « nistratio in perpetuum delegata esset, legibus « condendis se immiscere debere ; non ita quidem « ut apud legatos deliberantes aut decernentes « auctoritate sua valeret, sed, si qua de lege utrum « utilis annon parum liqueret, rogationi, donec « manifesta magis et expressa fieret civium volun- « tas, posset intercedere. Quid multa ? Regem ego « concilio quidem legislatorum noninteresse posse, « sed civitatis vicem, quotiescumque de legibus « promulgandis ageretur, gerere volui. »

Quæ quum ita sint, quum regem non specie tantum, sed re imperii participem esse deceat, oportet ut, et quantum possit, et quæ munera illi suscipienda sint, gentis personam gerentes legati diligentissime definiant. Inde autem illud natura consequitur ut cura regalis heredis instituendi ad illos præcipue pertineat :

« Rogitabit forsan aliquis quare ego, de regali « herede educando locuturus, de potestate regia, « quatenus prodesse possit, quibus periculis « objecta sit, tantummodo disputare velle videar ; « quare longiore vos oratione moneam quam sit « necesse ut vis illa formidanda eadem ac salutaris

« cum novo rerum ordine et novis de republica « sensibus ab omni parte consentiat ? Nempe, qui « sine bonis legibus cives educare velit, plane « insulsus est ; solum enim per eas leges, quæ « peculiariter ad quæque publica munera spectant, « ii, quibus hæc munera reservantur, possunt « educari ; per earum incommutabilem discipli- « nam mores animusque regiorum puerorum infor- « mantur ; denique, quum regia potestas facillime « quemque corrumpat, non aliter nocere desinet « quam si radicitus correcta ac novis quasi funda- « mentis constituta fuerit......

« Eo ipso quod regium imperium servandum « esse decrevistis, vobismet ipsis injunxistis offi- « cium res ita ordinandi ut, et vim ejus metuen- « dam severis legibus diligenter contineretis, et « omnes magistratus a populo creati, quomodo « sua rex potestate uteretur, inspicere possent. « Quum Ludovico sexto decimo regnum jure here- « ditario commiseritis, atque ideo illius filium « atque heredem totius alumnum civitatis factum « esse tacite significaveritis; quum puerum illum, « ut in vestra manu foret, nomine populi Gallici « susceperitis, vestri, inquam, officii est illum ita « educandum curare ut amplissimum illud munus, « quod ex voluntate civium obiturus sit, apte et « decenter tueri valeat. Vos quidem omnium « magistratuum et vim et gradus descripsistis ; vos « quibus conditionibus peti, quas secundum formu- « las impetrari possent, statuistis ; ad vos igitur

« profecto non modo pertinet summi magistratus « officia definire, sed etiam omni ope atque opera « niti ut, quantum fieri possit, vos nunquam pœni- « teat futurum regem utilissimæ illi censuræ cui, « si deligendus, obnoxius fuisset, subripuisse. »

Quæ postquam generatim atque universe præcepta sunt, quæ potissimum regio puero institutio conveniat, accuratius introspicit :

« Nunc vero, inquit, si res carptim considera- « vero, quem apud nos esse regem dicam ? Nonne « rex Gallorum præ omnibus legum interpres mi- « nisterque habetur ? Atque, si alio spectaveris, « nonne legum fit arbiter, quum illæ eo vetante, « irritæ fiant ? In quo autem fundamento civitatis « Gallicæ constitutio innititur ? Ex quo fonte « omnes ad unam leges in omnes usus civiles ma- « naverunt ? Jura scilicet omnibus æqua facta « sunt. Æque omnibus jus impertitum est senten- « tiam expromendi (quo fit ut voluntas communis « liquide perspici queat), æque fruendi commodis, « quæ societas civilis præstare possit; æque omnes « tributorum publicorum onus sustinent, æque « omnes iis præscriptis parent, quæ, quod cujus- « que jus tuentur, ideo etiam libertatem omnibus « natura debitam confirmant.

« Sed longius progrediamur : nonne reges sæ- « pius scopulis, quæ vix prætervehi possunt, offen- « duntur ? Nonne ea est eorum fortuna ut semper « a quibusdam illecebris, quibus fatali quadam in- « clinatione irretiantur, accurate defendendi sint ?

« Apud Gallos ipsos, qui civitatem ita ordinave-
« runt ut mala pleraque summæ potestati inhæ-
« rentia allevarentur, et quantum rerum humana-
« rum natura sinit, corrigerentur, nonne reges
« inter gravissima versantur pericula ?..... Quæ
« simul atque in disceptationem veniunt, ultro,
« ut ita dicam, sese explicant....... Rex enim
« summa reverentia, leges, quas observandas cu-
« rat, prosequatur; quippe qui duntaxat ab illis
« potestatem suam acceperit; qua, nisi ut leges
« prævaleant, usus fuerit, injuria regio nomine
« appellari videbitur.

« Quæcumque eum puerum moverunt, quæcum-
« que adolescenti in consuetudinem vertere, quæ-
« cumque maturescentem ratio docet, in illius
« animo summam legum, quas simul pro judici-
« bus et pro patronis habeat necesse est, reveren-
« tiam debent infigere. Quibus indignus interpres
« fieret, si eas vel semel violari non nefas esse
« arbitraretur. Quin etiam rex, ut qui legibus con-
« dendis se immisceat vel potius conditas perpen-
« dat utrum necne sint probandæ, pro certa teneat
« rationem qua innituntur. Neque satis est si illas
« quasi divinitus emissas pro veris acceperit; quas
« etiam toto pectore complectatur, et ex animo
« semper diligat et mente verset, et ad earum nor-
« mam totius vitæ suæ tenorem dirigat.

« Quum vero summa hæc potestas quam sorte
« nascendi accepit et, vel ab incunabilis, magnæ
« fortunæ, semper comes adulatio, eum præcipue

« prohibere queant ne omnes homines æquo jure « esse meminerit, quanti momenti est nullam ne- « gligere artem qua ab ista opinionum perversitate « retrahatur ! — Verum enim vero, si non aliter « ac ceteri cives educabitur, res, ut volumus, se « habebit. Ob id enim sæpius suam rex male per- « sonam sustinet, quod personam civis gerere non « edoctus est.

« Ut vero nosse quid valeant homines, quid non, « summa regis et præcipua laus est, ita, quum « dijudicare probandæne sint leges annon debeat, « optime res intelligat est necesse. Qui nisi artes « disciplinasque, in quibus æquales versati fuerint, « animo comprehenderit aut saltem primoribus « labris gustaverit, quomodo civium voluntatem « poterit perspicere, quam leges sanciendo aut « antiquando oportet exacte expromat ? Inde intel- « ligere est quanta pestis rex omnis doctrinæ expers « civitati foret. Gentis igitur Gallicæ personam ge- « rentes legatos summopere consulere decet ut « regalis heres non modo quam optime educetur, « sed etiam instituatur. »

Huic orationi, quam supra percurrimus, rogatio quædam addita est, cujus hæc summa :

1° Gentis Gallicæ personam gerentes penes legatos esse jus omnia jubendi quæ ad regalis heredis institutionem pertineant.

2° Quæ disciplina puero regio educando accommodanda sit, collegio illi doctorum, quæ Academia appellatur, providendum ; hanc autem disciplinam

legatis prius, deinde regi ipsi approbandam esse.

3° A rege præceptores omnes sui filii nominari posse, ita tamen ut, e tribus, quos legati atque in Academiam cooptati ad munus quodque obeundum designaverint, unum eligat;

4° Eo autem omnem vim disciplinæ, qua Delphinus excolendus sit, dirigendam ut toto animo æquæ libertatis studium et legum observantiam combibat;

5° Cui, ut ex annis tenerioribus excesserit, scholam publicam a legatis designatam adeundam esse; ibi una cum ceteris pueris, quibuscum prima elementa accepturus sit, promiscue omnique discrimine remoto esse illi vivendum; posteaque, quum satis profecerit, illum cum adolescentibus ornatissimis in scholam illam, quæ Lyceum Publicum vocetur, admittendum et in eadem studiorum incude ponendum esse.

Hanc suam ipse præclarus ille vir orationem si suo tempore pronuntiare potuisset, forsan ea quæ rogabat nec plebi, nec legatis displicuissent; præterquam enim quod summæ eloquentiæ flumine omnium animos rapere solebat, hoc in opere mira quadam arte et popularium votis satisfecerat, et jura legatorum regisque æquabili temperatione conciliaverat. Maturius vero morte interceptus est; quo autem tempore amicus quidam hanc de Delphino educando orationem e scriniis defuncti eductam in vulgus prodidit, jam longius, quam ut compositis sententiis locus ullus relinqueretur, res processerant.

CAPUT SECUNDUM.

SUMMA. — I. Popularium, quam sibi præstruxerat Ludovicus, fides in dies imminuta. — II. Inde magis atque magis populus jus Delphini educationi consulendi sibi uni vindicat. — III. Quum, mense Martio, anno 1791, de regni procuratione et regii pueri tutela relatum est, sciverunt legati ut, quæ ratio studiorum Delphino adhibenda esset, decernendi jus sibi solis obtingeret. — IV. Ludovicus, mense Junio Novigentum fugit et comprehensus Lutetiam redire cogitur. — V. Hoc in discrimine censent legati præceptorem Delphini ad tempus designandum esse. — VI. De ratione qua præceptor eligendus sit deliberatio. — VII. Eligendorum præceptorum index quas disputationes moverit. — VIII. Censuram legati moleste ferentes quæstionem de educando Delphino de die in diem proferunt. — IX. Examinantur nonnulli commentarii qui tum de pueri regii institutione a privatis hominibus compositi sunt.

I

Per duos annos, quos supra memoravimus, quotiescumque Galli de Delphino educando disputavere, hoc tantum in animo visi sunt habere ut regiæ potestatis vis formaque in melius, prout nova tempora postulabant, mutarentur. Ex antiqua stirpe novam adolescere propaginem exoptabant, veterem autem truncum avellere neque pedibus conculcare meditabantur. Nulli itaque, ut vidimus, puerum regium in cujusvis alius quam sui patris tutelam tradi posse, in mentem venit. Ab anno autem 1791, quum magis ac magis, quantum Lu-

dovicus a novarum rerum fautoribus abhorreret, manifestum fieret, nihil jam ab illo sperare cœperunt ; curaverunt igitur ut puero regio ea educatio pararetur quam rex adeo non probare posset, ut contra valde repudiaret ; denique ad id summopere tetenderunt ut Delphinus sibi non paternis vestigiis insistendum, sed civitatem ad novæ rationis normam regendam intelligeret.

Hoc in consuetudinem verterat ut, primo cujusque anni die, legati quosdam oratores ad regem mitterent, qui illi gratulationes solemnes votaque offerrent. Qua quidem salutatione non sine verecundia functi sunt. Nonnulli tamen animadvertere potuerunt legatorum præsidem apud Ludovicum loquentem liberiorem solito sermonem usurpavisse ; quin etiam apud reginam et Delphinum non precantis, sed potius jubentis verbis usum esse (1).

Regina autem, quamvis istiusmodi verba ægre profecto tulisset, non potuit non polliceri se nihil

(1) Verba præsidis legatorum ad Reginam Delphinumque :
« Madame, l'Assemblée nationale vient vous offrir les « vœux qu'elle fait pour votre bonheur : elle se rappelle « avec un vif intérêt que vous avez promis d'apprendre à « l'héritier du trône à respecter la liberté publique et à « maintenir les lois. Cet engagement nous assure que cet « enfant précieux, destiné à gouverner une nation libre, sera « l'inébranlable appui de notre Constitution.

« Et vous, que la Providence et nos lois appellent à porter « une couronne embellie par la liberté, imitez les vertus des « auteurs de vos jours ; apprenez d'eux que les rois sont « établis pour rendre les peuples heureux et que leur véritable puissance consiste dans l'obéissance aux lois. » *Journal de Paris*, 2 janv. 1791.)

omissuram esse ut filius et leges religiose observaret et diligentissime publicæ felicitati consuleret. Quod promissum in universum dederat, mox, ut in certa quadam re exsolveret, efflagitaverunt; quum enim nuper, Novembri mense, legati edixissent ut omnes sacerdotes fidem novæ civitatis constitutioni obstringerent, non defuere qui presbyterum, quem Ludovicus filio suo præceptorem elegisset, nondum sese hoc jurejurando obligare voluisse, animadverterent. Missa igitur ad legatorum præsidem epistola, vir non unus e multis neque ex infimo loco natus, sed apud Curiam Parisiensem olim causarum actor (1), memorabat: « Nihil majoris esse momenti quam Delphini edu- « cationem; nulli gravius publicum munus quam « pueri regii præceptori committi; eum igitur, « quum ante omnia legum observantia (modo « reginæ verbis fides adhibeatur) docenda sit, si « diutius jusjurandum detrectaverit, munere emo- « vendum esse (2). »

II

Ceterum, quo planius intelligi possit, quanto magis ac magis sibi uni populus jus Delphini educationi præsidendi vindicaverit, locum quemdam e libello, qui, tum septeno quoque die editus, ma-

(1) Gallice vocatus : Cullet de Pugieu.
(2) *Archives nationales* : F^{17} 1310.

ximam sibi apud plebem auctoritatem conciliaverat, excerpere satis erit :

« En jam annis viribusque crescit Delphinus ; « sapientia etiam civili eum crescere nunc tem- « pus est. Regina quidem promisit fore ut nova- « rum rerum amore imbueretur ; nihilominus « oportet ut legati nostri, quum de scholis publice « creandis deliberabunt, disciplinam rationemque « studiorum, quibus animus moresque Delphini « informentur, perpendant ; illum enim non tam « parentum suorum quam civitatis alumnum esse.

« Quoniam igitur ille aliquatenus nostri juris « est, ante omnia efflagitemus oportet ut secundum « leges instituatur. Quare nobis placet ut rex, « quem filii sui præceptorem elegerit, legatis de- « nuntiare cogatur. Quis enim Delphino educando « præsit, magis etiam nostra refert quam qui re- « bus publicis præficiantur. Jubeat insuper rex « præceptorem illum civico jurejurando adigi, et « ab illo librorum, quos in manus discipuli tradi- « turus sit, indicem proferri. »

Quæ quidem licet erga regem arrogantem quamdam contumaciam patefaciant, nihil tamen omnino novum immodicumve afferunt. Quæ vero sequuntur, multo majora cives jam assumere sibi velle manifesto significant :

« Placet etiam ut puer regius, exeunte quoque « anno, legatos gentis personam gerentes saluta- « tum veniat, coramque illis sedentibus, corona « vulgi adstante, de omnibus iis quæ edoctus

« fuerit quæve sentiat, interrogetur. Quod si per-
« contantibus bene respondendo satisfecerit, quer-
« cea ille corona a præside legatorum accepta
« præceptoris sui frontem præcingat ; si minus,
« quum præceptor puero regio præfectus, ut ceteri
« regni ministri, rerum gestarum rationem civitati
« debeat, a præside legatorum publice primum
« notetur, deinde, si iterum peccaverit, munere
« suo depellatur (1). »

Quum talia de educando Delphino mense Januario agitarentur, quid mirum si, anno procedente, fere omnino potestate patria Ludovicus sextus decimus exutus est (2) ? Illum enim ferebat fama exsulantium patriciorum consilia haud improbare, et quidem illud tum machinantium ut, si minus regem ipsum, at filiolum saltem e Gallia præriperent. Qui rumor, quum in dies increbresceret, consternatio civium, mense Februario, conflata est. Ingens multitudo dictitantium Delphinum abreptum Lutetia esse efflagitantiumque ut, si errarent, puerum regium saltem possent adspicere regias ædes circumstetit ; quam vix vetare potue-

(1) Vide : *Révolutions de Paris*, n° 81 (du 22 au 29 janvier 1791).

(2) Nonnulli forte tum meminerunt priorem Ludovici sexti decimi filium male institutum esse : « L'éducation de M. le Dauphin va mal. Les instituteurs choisis par Mme d'Harcourt (*sic*) n'acquièrent aucune considération dans leurs travaux. On parle d'un précepteur mitré et M. le duc d'Harcourt a dit qu'on pourrait en même temps chercher un gouverneur. » (*Correspondance secrète*, publiée par M. *de Lescure*, t. II, p. 155, 27 juin 1787.)

runt ne fores regiæ perrumperet, neu vi sibi aditum faceret (1).

III

Equidem haud infitiabimur legatos plerosque plebis impotentiæ non semel obsistere tentavisse ; attamen, quod ad Delphini educationem spectabat, haud multum aberat quin plane cum plebe consentirent. Quum enim reputarent ab illo præsertim pendere utrum ea, quam rei publicæ composuerant, constitutio stabilis an caduca futura esset, illum magis velut in sua manu tenere gestiebant. Itaque quum, mense Martio, de procuratione regni et regii pueri tutela relationem incepissent, sine ulla cunctatione sciverunt uti solis legatis, quæ ratio studiorum Delphino adhibenda esset, decernendi jus obtingeret (2). Ergo, ut liquet, Ludovicum jam nihili faciebant neque tantæ rei quemquam immiscere se volebant. Imo, qui nuper rogaverat ut de hac quæstione collegium illud quæ Academia appellaretur prius, quid censeret faciendum, proponeret explicaretque, tunc inter disceptantes tacuit : seu jam morbo laborantem vires deficerent, seu potius, quum intellexisset nihil profici posse, vocem comprimebat.

Interea regis familiares de industria eum magis

(1) Vide : *Mémoires de Mme de Tourzel,* t. I, p. 242 (Paris, Plon, 1883, 2 vol. in-8o).
(2) 26 mars 1791.

suspectum facere et invidiæ popularium objicere videbantur. Qui nempe illi suaserunt ut Lutetia proficisceretur et in ædes regias, quæ sancti Chlodoaldi nomen mutuatæ essent, cum suis rusticatum se conferret. Inde iterum omnium concitati animi; inde jam Delphinum abreptum iri rumor pervagari; inde in omnes, qui ejus lateri adhærebant, civium oculi conversi. Ubi, imminente jam seditione, rex ab incepto destitit (1), vix illi actæ gratiæ; sed multi contra palam eum accusaverunt, quod in regiis ædibus inimicos plebis foveret. Quin etiam, vir splendidissimo loco ortus, qui partes plebis amplexus regiam tamen majestatem reverebatur, regioni Parisiensi administrandæ præfectus, Ludovicum coram arguere ausus est quod filium potissimum viris novo rerum ordini infensis curandum traderet (2). Neque revera cives quod in ea re suspicaciores fuerint incusandi sunt. Satis enim superque novimus tum maxime Delphini animum contra rerum novarum fautores ab educatoribus suis concitatum esse. Quod res una ab ipsa regii pueri educatrice narrata satis declarabit. Quæ qui-

(1) 17 avril 1791.

(2) « Dès le soir même, le département (de Paris) vint offrir « une adresse au roi pour lui représenter l'inquiétude du « peuple de le voir entouré de prêtres réfractaires, et la « crainte qu'il éprouvait que la protection qu'il leur accor- « dait n'indiquât les véritables sentiments de son cœur...... « M. de La Rochefoucauld, président du département, qui « portait la parole, l'engagea aussi à éloigner les personnes « qui entouraient Mgr le Dauphin, et qui leur étaient égale- « ment suspectes. » (*Mém. de Mme de Tourzel*, I, 275.)

dem refert, quum Delphino crepundia ex lapidibus *Bastillæ* fabricata ab artifice quodam oblata essent, puerum ab illis indignabundum abhorruisse. Istius modi munusculum, fatemur, aliquatenus inepte excogitatum ; num vero animo pueri sexennis, nisi jam præoccupatus esset, potuisset tantum displicere (1) ?

IV

Forsan conjecturam haud absurdam faceret qui opinaretur Ludovicum, quum mense Junio e Gal-

(1) *Mém. de Mme de Tourzel,* I, 296, 297.

« La dame Tourzelle (*sic*), gouvernante du Dauphin, est un véritable démon sous le masque d'une femme. Elle mourra dans l'impénitence de l'aristocratie... La vue d'une cocarde patriotique lui donne des vapeurs convulsives ; combien de fois ne l'a-t-elle pas arrachée à son élève presque aussitôt qu'on l'en parait ! Voyant passer des députés qui se rendaient à l'Assemblée Nationale, l'enfant demandait un jour à sa gouvernante : Qui sont ces Messieurs ? — Ce sont des loups qui mangent votre papa et qui ne feront de vous qu'une bouchée... On amuse le Dauphin à de petits jeux innocents, tel que celui qu'on est convenu d'appeler *Jouer à s'en aller.* — Mais, dit-on au bambin royal, vous ne pouvez partir sans passeport. — Oh bien ! répond ingénument l'enfant né coiffé d'une couronne, M. Bailly m'en donnera un. » (*Révolutions de Paris*, n° 104 du 2 au 9 juillet 1791.)

Hæc eadem Delphini educatrix summam sibi apud patricios gratiam conciliaverat. De qua hos versus legimus...

Toi qui par tes vertus, tes mœurs, ton caractère,
Sers d'exemple au Dauphin dont tu formes le cœur,
Rends-le bon, juste, ferme, et pour notre bonheur,
Qu'il s'instruise en voyant les malheurs de son père.

(*Journal de la Cour et de la Ville,* 18 septembre 1791.)

lia fugere statuisset, non solum multis aliis offensionibus incitatum esse, sed etiam hanc causam non levissimam habuisse, quod magis ac magis suam in filium auctoritatem imminutam videret. Quidquid id est, ubi illi fuga intercepta fuit, et, Novigenti agnitus comprehensusque, Lutetiam coactus est redire, haud ambigue discernere potuit quantum ex auctoritate regis cives Delphinum eximi vellent. Plurimi Ludovicum officii sui desertorem proditoremque patriæ dictitantes, regia potestate eum dejiciendum esse existimabant; quam tamen haud cupiebant aboleri, sed conversi ad Delphinum, quum in publicum prodibat, plausibus illum excipiebant ; quin etiam sæpe hæc vox audita est : « Hic puer, jam rex noster, vivat (1)! »

V

In tanta animorum perturbatione legati haud extrema sequi ausi sunt ; quasi res etiam tum resarciri possent, Ludovicum in regnum restituerunt. Quot autem senserunt non jam regem populumque in pristinam concordiam reduci posse ! Quum igitur cives jam haud immerito suspiciosi facti essent, legati continuo intellexerunt sibi sine ulla mora providendum esse ut nulla regi aut regis amicis in Delphinum auctoritas jam relinqueretur. Itaque sanxerunt ut satellites eligeren-

(1) Mémoires de Mme de Tourzel, I. 359.

tur, quibus regii pueri committeretur custodia, insuperque censuerunt præceptorem ad tempus designandum esse (1). Quæ decreta, ubi in consessu fuere perlecta, magnos coronæ adstantis plausus moverunt: adeo, ut ita dicam, popularium voluntati respondebant!

VI

Quamobrem haud multo post, qua ratione præceptor eligendus esset, in deliberationem venit. Legatus, cui de hac quæstione referendi munus injunctum fuerat (2), ubi admonuit nihil adhuc de disciplina et ratione studiorum Delphino adhibenda statutum esse, et idcirco ad tempus modo præceptorem tunc posse designari, rogavit ut quisque legatus nomina eorum, quos ad hoc officium aptos arbitraretur, conscriberet; hæc omnia nomina in indicem in consessu perlegendum et typis postea mandandum referrentur; uni denique, qui majorem suffragiorum partem tulisset, titulus præceptoris decerneretur. Insuper addidit illi civicum jusjurandum præstandum esse; ceterum omnes, qui quævis officia apud Delphinum obituri essent, illi omnino parere debere.

Quæ rogatio in universum placuit, utpote quæ, quod ad Delphinum educandum pertineret, Ludovico sexto decimo neque rerum neque hominum

(1) *Moniteur*, n° 177 (1791).
(2) Démeuniers.

delectum relinqueret (1). At in hoc facta est disceptatio utrum legatis jus futurum esset annon præceptoris partes agendi.

Hic (*Defermon*) memorabat decreto olim legatos præcavisse ne cui inter eos munus ullum, quod ad rerum publicarum administrationem pertineret, liceret obire. Illo autem decreto, ille (*Delavigne*) respondebat, præcavere voluimus ne quid legati a viris ad respublicas administrandas adhibitis accipere possent ; quod in re, de qua deliberamus, non timendum. — Quam arduum nobis plerisque præceptorem eligere futurum est, aiebat unus (*Rewbel*), ubi legati præceptoris partes agendi jure interdicentur ; quippe qui plerique e provinciis oriundi fere cum nullo, collegis exceptis, consuetudines fecerimus. Oportet contra, referebat alter (*Garat* natu major), ut nulli detur nos accusandi locus, quod, præceptorem Delphini eligendo, amicitiæ aut sodalitati indulserimus. Ceterum, quum tantum curæ et laboris in Delphinum instituendum impendendum sit, quis tam gravi oneri non impar evaderet, si idem personam legati eodem tempore

(1) Animadvertendum est quosdam legatos noluisse Ludovicum omnino patria potestate exui :

« *Dandré.* — J'appuie le renvoi sur une question où il s'agit, d'un côté, de rendre illusoire une responsabilité importante, et de l'autre, d'ôter à un père toute espèce de communication avec son fils. Est-il un père qui voulût y consentir pour toutes les couronnes de la terre ? (*Il s'élève des murmures.*) — Je suis fâché pour ceux qui m'interrompent de ce que cette raison ne fait pas d'impression sur leur cœur. »

tueretur. — Nonnullis forte in mentem venit fieri posse ut legatus, postquam Delphini præceptor electus fuisset, provinciam, suffragiis popularium sibi commissam deponeret ; quam opinionem, licet nullus palam declaraverit, duo viri (*Tronchet*, *Pétion*), summa gravitate, legatos admonendo jurisjurandi quo se olim obstrinxerant non prius loco cessuros quam civitati constitutionem omni parte absolutam condidissent, confutaverunt.

Quum jam in studia diversa concilium distraheretur, quum mutuis ambitionis accusationibus legati non satis parcerent et timeret quisque ne non unus ex sua factione eligeretur, compositum est ne cujus legati nomen in indicem referretur (1). Ita profecto sibi honestam integritatis famam pepe-

(1) *Moniteur* nos 180-181 (1791).

— « *Art.* I. Avant de concourir à la nomination d'un gouverneur qui doit être provisoirement donné à l'héritier de la couronne, en vertu d'un décret du 25 de ce mois, il sera formé une liste indicative des citoyens qui paraîtront propres à remplir cette fonction. — *Art.* II. Pour former la liste, les membres de l'Assemblée Nationale, répartis en bureaux, procéderont à un scrutin indicatif ; les scrutins de chaque bureau ayant été reçus par deux secrétaires, la liste, de tous ceux qui auront obtenu des voix sera appelée à l'Assemblée, et ensuite imprimée. — *Art.* III. L'élection sera faite au scrutin individuel et à la majorité absolue des suffrages ; les voix pourront porter non seulement sur ceux inscrits dans la liste, mais sur tous autres citoyens, à l'exception des membres de l'Assemblée Nationale actuelle. — *Art.* IV. Le gouverneur prêtera à la Nation, dans le sein de l'Assemblée nouvelle, le serment de veiller religieusement à la conservation de la vie et de la santé de l'héritier présomptif et répon-

rerunt ; at quum sic ornatissimi viri, qui ad hanc diem lumen civitati quasi porrexissent, præterirentur, metuendum erat ne minus ampla copia eligendi suppeteret.

VII

Quod, ubi index, in quo nomina conscripta erant, in lucem editus est, manifestius patuit. Hic enim reperire erat paucos quidem viros, qui et virtute spectata probataque et singulari eruditione commendabiles viderentur, sed plures qui aut nullius, aut levioris, aut sinistræ etiam famæ essent (1).

dra de sa personne. — *Art.* V. Toutes personnes attachées au service du présomptif seront sous la surveillance et les ordres du gouverneur. — *Art.* VI. Le droit de déterminer le système d'éducation morale, civile et politique..... du présomptif ayant été réservé aux représentants de la Nation par un décret antérieur, l'Assemblée Nationale s'occupera incessamment de cet objet. »

Quod decretum, postquam rex sanxit, undetricesima die mensis Junii 1791 promulgatum est.

(1) Illum indicem si hic transcripserimus forsan haud displicebit :

Agier, président d'un tribunal de district de Paris ; — *d'Allonville*, ci-devant chevalier ; — *Amand d'Aupeley de Berteuil*, département de l'Eure ; — l'abbé *Auger*, de l'Académie des Inscriptions ; — *Bacon*, électeur ; — *Barberin*, colonel d'artillerie ; — *Baudin*, maire de Sedan ; — *Berenger*, auteur de l'*Esprit de Mably* ; — *Bernardin de Saint-Pierre*, auteur des *Etudes de la Nature* ; — *Berquin*, auteur de l'*Ami des Enfants* ; — *Beugnot*, procureur général syndic du département de l'Aube ; — *Bigot de Préameneu* ; — *Bochard de Sarron* ; — l'abbé *Bossu* ; — *du Bouchage*, officier d'artillerie de la marine ; — *de Bougainville* ; — *Bourbon-Conti* ; — *Bret*, place des Victoires ; — *Broussonnet*, secrétaire de la

Hinc spes plebis ad modum delusa; hinc in legatos acerbæ vituperationis locus.

Apud hunc cœtum jam tunc celebratissimum,

Société d'agriculture; — *Callet*, principal du collège de Vannes; — *Cérutti*; — ci-devant duc *de Charrost-Béthune*; — *de Châteaugiron*; — le coadjuteur de Sens; — *Emmanuel de Coëtlogon*; — *Condorcet*; — *Coste*, maire de Versailles; — ci-devant duc *de Croï*; — *Dacier*, secrétaire perpétuel de l'Académie des Belles-Lettres; — *Desmares de Gacey*, du département de l'Orne; — *Despaulx*, directeur en chef de la ci-devant Ecole militaire de Sorrèze; — *Devon de Forbonnais*; — *Ducastel*, homme de loi à Rouen; — *Ducis*; — *Duduit de Romainville*, ci-devant gouverneur des pages; — *Du Menil*; — *DuPort-Dutertre*; — *Du Verger*; — *Duveiryer*, secrétaire du sceau; — *Fleurieu*; — *François de Neufchâteau*; — *Garran de Coulon*; — *Gérès-Vaquey*, du département de la Gironde; — *Guitron-Morveau*, procureur général syndic du département de la Côte-d'Or; — *d'Harcourt*; — *Hérault de Séchelles*; — *d'Herbouville*, président du département de Rouen; — *Hom*, homme de loi; — *Jourdan*, ci-devant président du district des Petits-Augustins; — *Kersaint*, de Brest; — *La Cépède*, administrateur du département de Paris; — *La Cretelle*; — *Lafond*, médecin; — *Lametherie*, frère du député; — *Léger* ou *Légier*, juge de paix de la section des postes; — *Lehoc*, commandant de la garde nationale de Paris; — *Leroi*, de l'Académie des sciences; — *Mailhe*, procureur général syndic de la Haute-Garonne; — *Malesherbes*, ancien ministre; — *Mariette*, caissier des Ponts et Chaussées; — *Mayot*, membre du département de Paris; — *Mollien*, rue de la Michodière; — *Monge*, de l'Académie des sciences; — *Montbel*; — *Montciel*, maire de Dôle; — *Montmorin*, ministre; — *Morel de Vindé*, juge d'un tribunal de district de Paris; — *Necker*; — *Noël*, rédacteur de la *Chronique*; — *d'Ormesson*, ci-devant contrôleur général; — *Pastoret*, procureur général syndic d'un district de Paris; — *Perron*, officier municipal de Paris; — *Pièyres*, de Nîmes, auteur de l'*Ecole des Pères*; — *du Pujet*, colonel d'artillerie; — *Quatremère de Quincy*; — *Quesnay de Saint-Germain*; — *Roucher*, président de la section de Saint-Etienne-du-Mont; — *Sainte-Croix*, ministre en Pologne; — *Saint-*

cui *Jacobinorum* nomen, et qui in rebus publicis plurimum pollebat, res relata est (1). Quantum in nominibus designandis legati erravissent, nonnulli ostenderunt, et rogavit aliquis ut index alter apud Jacobinorum cœtum conscriberetur. « Quod ad me attinet, quidam inquit, nullum educando Delphino præfici posse arbitror ex iis qui quondam a rege beneficia vel minima acceperint ; quam ob rem quicumque in unum ex illis collegiis, quæ Academiæ vocantur, allectus est, nullo modo pueri regii præceptor fieri posse mihi videtur ; ceterum istius modi viris plus ingenii quam virtutis suppetere solet. Præterea, quum partes patris apud Delphinum præceptori suscipiendæ sint, ne iis qui cælibem vitam duxerint copia illius muneris impetrandi relinquatur. » — Scriptor quidam diurnarum chartarum legatos, quod in hac re parum judicii exhibuissent, increpabat : « Intra angus-« tiores fines, aiebat, sponte semetipsos compu-

Martin, auteur du livre des *Erreurs et de la Vérité* ; — *Seguin*, évêque de la métropole de l'Est ; — *Ségur*, ambassadeur à Rome ; — *Servan*, ancien avocat général ; — l'abbé *Siccard* ; — *Terrède*, médecin à l'Aigle, département de l'Orne ; — *du Tremblay*, administrateur du département de Paris ; — *Valence* ; — *Valfort* ; — *Vandœuvre* ; — *Vauvilliers* ; — *Vergennes*, commandant de bataillon ; — *de Villes*, ancien fermier général.

Fait et arrêté par nous, secrétaires de l'Assemblée Nationale, à Paris, ce 5 juillet 1791.

Signé : GRENOT, LECARLIER, MAURIET.

(1) Vide : *Journal des Débats de la Société des Amis de la Constitution* (nos 17-20, 1791).

« lere, neque satis longe prospexerunt. Illum, « quem conscripserunt, indicem vel paulum con« sideranti satis liquet a quoque legato quemvis « inter amicos, aut cognatos, aut familiares non « electum, sed sorte ductum esse. Itaque nullus « fere, qui non Lutetiæ versaretur, designatus est. « Lutetiam quidem fatendum est omnium artium « doctrinarumque jamdiu quasi sedem factam « esse ; sed quid ad rem ? Nonne satius fuit cir« cum omnes Galliæ regiones litteras hunc fere « in modum scriptas mitti : Jam Ludovicus sextus « decimus regnavit ; cujus filius adhuc tenerior « est quam ut vitia paterna referat. Si quis ergo « tantum ausus fuerit assumere, ut quemquam e « Borbonia prole, quæ virtutes regem deceant, edo« cere velit, hic nomen suum profiteatur ; quibus « de causis tanto muneri non impar possit evadere, « cives certiores faciat ; vel quem ipse noverit huic « officio satis aptum, sed propter modestiam ad« huc ignobilem, in lucem continuo producat. Non « hic litterati viri requiruntur ; viro opus est pa« triæ et libertatis amantissimo, qui recte sapiat, « sibi semper constet et sine fuco et fallaciis vi« tam agat ; viro, in quantum illius verbi vis pa« tet, nobis opus est. Neque quidquam, qui sit « hujus viri habitus cultusque, pensi habemus. « Neque enim displicebit aut Britannus multum « diuque procellis jactatus, aut ex Alpibus mon« tanus sæpe et imbrem ventosque perpessus et « cum feris colluctatus ; illius indolis viris, ite-

« rum inquam, opus est, ut soboli stipitis radici-
« tus carie corrupti adminiculum præbeant (1). »

VIII

Hæc atque alia istiusmodi multa legatis tædium afferebant ; itaque, quum jam dies præstituta appeteret, qua in vitam privatam redeundum esset, et rationem studiorum describere et præceptorem Delphino eligere parum cordi habuerunt. De hac quæstione quidem non semel apud eos mentio facta (2) ; sed semper, quasi consulto, de die in diem prolata est. Tantum igitur onus cervicibus suis impositum voluisse excutere videntur.

IX

Non tamen defuerant multorum incitamenta, quæ ad illud opus perficiendum eorum animos exstimularent. Non modo enim rei publicæ gna-

(1) *Révolutions de Paris* (nº 104, 1791).

Quantulum probata sint nomina virorum a legatis in indice conscripta perspicies, si legeris : *Patriote Français*, 29 juin 1791; *Révolutions de Paris*, nº 104, 1791 ; *Journal de Paris*, 3 juillet 1791; L'*Ami du Peuple*, 4 juillet 1791 ; La *Bouche de Fer*, 6 juillet 1791.

(2) Vide *Moniteur*, séances des 20 et 30 juillet 1791.

Delphini titulum nomenque eo ferme tempore abolitum esse memorandum est. Tertia decima die mensis Augusti anno 1791 sciverunt legati ut filius regis, ad quem hereditas regni pertineret, non jam *Delphinus* sed *Princeps regius* appellaretur.

4

ris quidquid ad Delphini institutionem attinebat curæ erat ; sed etiam quidam, omnino ignoti et remotissimis in provinciis quasi reconditi, quid de Delphino educando censerent in commentariis, quos plus minus accuratos legatis legendos misere, exponere non dubitaverunt. Quos, licet interdum incompositi sint et puerilitatem quamdam redoleant, libuit tamen percurrere, vel ob id unum quod, quanto studio utilitatis publicæ homines ea tempestate degentes flagraverint, quatenus veri amantes invidiæque et ambitionis expertes rem publicam in melius provehi exoptaverint, inde perspicere licet.

Dum illos codices apud Tabularium excutiebamus, non mirari non poteramus quod legati Delphini educandi munere, quod sibi assumpsissent, fungi noluissent : adeo liquet nemini in mentem venisse eos illud sibi jus injuria arrogasse, sed contra omnes summam in eorum prudentia spem reposuisse. Animadvertendum enim videtur inter eos, qui istius modi commentarios composuerint, unum aut alterum exstare qui, licet christianæ religionis fidissimus sit propugnator, jus tamen Delphini educandi penes cives jam fore gaudeat (1).

Præterea nullus iniquo animo videtur ferre quod

(1) *Archives nationales* (F[17] 1310). — *Essai sur l'Education de l'héritier présomptif de la couronne* (anonyme, S. D.). — *Plan d'Education du Dauphin*, par Varrailhon (Jean-Baptiste), professeur d'humanités à Hautefort.

jam regi præceptorem, magistros famulosque filii sui eligere omnino non liceat; aut potius, ne quid omittamus, unus, non sine quodam rerum verborumque pondere, aliquatenus legatos vituperavit. Missa ad legatorum præsidem epistola: « Nuperrime, inquit, nequaquam sui esse juris per « se ipsos Delphini præceptorem nominare legati « existimabant; cives tamen regiorum puerorum « in institutione regenda plurimum valere oportuit. Quod illa famosa nimis regis fuga primum « fecisse manifestum videtur. Simul enim atque « e regno Ludovicus exire tentavit, omnium « animos tanta implevit suspicione ut, continuo « omnibus fere consentientibus, præceptorem, « filio suo designare non posse visus sit; nunc « jam ad nullos, præter ad legatos, hanc curam « pertinere contendunt. Quod si quem præceptorem, unum ante mensem, Ludovicus nominavisset, ne unus quidem ægre tulisset quod de « hac gravissima quæstione legatos non consuluisset. Inde tamen summa rei publicæ incommoda oriri poterant. Nunc autem quum legati, « paterna despecta potestate, soli præceptorem « Delphini electuri sint, haud minus gravi periculo occurritur. — Hinc contra leges peccatum « fuisset; illinc contra naturæ ipsius jura peccabitur (1). » Illa autem verba, licet audientia non

(1) *Lettre écrite à l'Assemblée Nationale* au sujet de la nomination du gouverneur de M. le Dauphin, par Bacon, électeur de 1790, 6 juillet 1791. (Bibl. nat., Lb39 5164.)

indigna, inter contraria efflagitantium voces quasi compressa sunt et in irritum ceciderunt. Neque enim id tempus erat quo Ludovici patrocinium opportune suscipi posset.

Quod proprie ad disciplinam morum spectat, hanc diligenter videmus quæstionem esse tractatam, utiliusne esset Delphinum domi atque intra privatos parietes studentem contineri, an in scholam a multis condiscipulis celebratam mitti. Unus (1) quidem suadet ut pueri regii lateri unus modo aut alter puer adjungatur, qui, omnibus opibus, parentibus etiam destitutus, Delphini animum ad misericordiam inclinare possit. — Alter (2) autem, qui nullum nisi patrem familias præceptorem Delphini fieri posse arbitratur, illi inter suos, velut suum, et recipiendum et educandum eum esse censet. Illam vero fere solitariam et velut umbratilem vitam plura secum incommoda trahere alios non fugit : inde enim minorem æmulationi locum; inde, quum pauci admodum Delphino conversentur pueri, faciliorem adulationi ansam dari. Quæ quum incommoda perspicue intellexerit scriptor, quem tertium laudamus, qua via vitari possent diligenter scrutatus est, inventamque enucleate descripsit fuseque commonstravit (3).

(1) *Indication du choix à faire d'un gouverneur* pour l'héritier présomptif de la couronne par un citoyen patriote. (Bib. nat. Lb39 5165.)

(2) *Réflexions sur le choix d'un instituteur du Dauphin,* par J.-J. Le Roux, médecin et officier municipal (Lb39 5166).

(3) Hic, qui gallice *L. Bourdon La Crosnière* nominatur,

Epistola libello suo adjuncta sic præsidem legatorum alloquitur : « Summa cum reverentia ad « legatos de institutione pueri constitutione civi- « tatis ad populum liberum regendum designati « opusculum mitto. Existimavi equidem eum, si « non private educaretur, melius quid valerent « homines, quid non, posse cognoscere ; si ex « æquo cum condiscipulis viveret, melius cetero- « rum jura et sua ipsius officia comperturum ; « libentius, postquam quantum esset in libertate « bonum ipse expertus fuisset, ceterorum liberta- « tem observaturum esse. Quum insuper omnes « omnium Galliæ regionum cives curare, ut « Delphinus probe instituatur, deceat ex una- « quaque regione unum illi arcessendum con- « discipulum censeo. Quem ita adulatorum ex « insidiis eripio ; eadem hac ratione legatis po- « testatem facio continuo inspiciendi utrum præ- « ceptores regii pueri vota popularium negligant « necne. »

non semel quæ de educando Delphino censeret, in lucem edidit : *Mémoire sur l'Education nationale.......* suivi d'un *Essai* sur la manière de concilier la surveillance nationale avec les droits d'un père sur ses enfants dans l'éducation des héritiers présomptifs de la couronne. (A Paris, l'an second de la Liberté, de l'imprimerie de Cailleau, petit in-18.)

Mémoire sur l'Education nationale.... suivi d'un *Essai...* etc. (Paris, Baudouin, 1791).

Insuper ad legatos opusculum manuscriptum, quod hic in breve cogimus, misit. (25 juin 1791. *Archives nationales*, F^{17} 1310.)

Inde quod propositum sibi destinaverit enodatius explicat :

« In unaquaque ex octoginta tribus Galliæ re-
« gionibus cives, quibus maximi est momenti hæc
« educatio, puerum unum Delphini annis æqualem
« eligant. Illi octoginta tres pueri continuo in
« gymnasium quoddam congregentur, ubi pueri
« regii condiscipuli fiant. Rector autem illius
« scholæ, ut qui personam civitatis gesturus sit
« quæcumque ad Delphinum pertineant inspiciendo,
« a legatis nominetur. In duodecim partes septe-
« nos dispertiatur discipulos ; quo fiet ut Del-
« phinus in una ex iis cum sex pueris versetur.
« Quinto decimo quoque die regii pueri præceptor
« duos pueros dimittat, duos autem a rectore
« scholæ designatos suscipiat simulque in omnes
« partes eadem conditione in vicem commeetur.
« Nullum vero inter illos pueros aut cibi aut
« cultus, aut victus sit discrimen (1). »

(1) Ostendit quidam qua ratione illi pueri eligi possint :
« Ce ne sera pas le hasard de la naissance qui vous les désignera. L'enfant destiné à cette brillante substitution (*sic*) que vous avez cru devoir conserver pour la tranquillité publique, appartient à toute la nation. Tous les départements doivent donc concourir à son éducation; tous réclament pour un de leurs enfants le bonheur d'être élevé avec cet enfant si cher à tous les Français. Il paraîtrait donc utile et au jeune prince et à nous tous, qu'il fût nommé par chaque département un enfant mâle de l'âge du Dauphin, à six mois près, soit en plus, soit en moins, pour partager son éducation. Pour parvenir à cette nomination, il serait fait, dans chaque canton, une liste de tous les enfants mâles de l'âge requis. Ces enfants seraient examinés avec soin d'abord par

In schola sic temperata omnia, ut sperat noster, quam felicissime succedent; pueri enim illi, quum animadverterint semetipsos ex pari cum Delphino vivere, nihil apud illum præter humanitatem magni æstimandum censebunt; rursus autem Delphinus, quo humaniorem in dies se gerat, summopere studebit. Adde quod rector scholæ ubi pueros, qui cum Delphino versati fuerint, sine ulla intermissione observare potuerit, quantum eorum mores studiaque profecerint, perspicue discernet: inde quid valeat regii pueri præceptor, ita perspiciet ut de re tanta legatis apte rationem reddere queat. Denique, quod pueri in vicem commeabunt, magnopere ad mores Delphini informandos profici

les municipalités de leurs paroisses, ensuite par les électeurs du canton. Les uns et les autres auraient soin de s'assurer de la bonne santé et constitution des enfants proposés, de la bonne conduite et probité de leurs pères et mères. Les électeurs, auxquels serait adjoint tel nombre de notables que vous croiriez devoir fixer, en choisiraient un au scrutin individuel et à la pluralité absolue. Ces enfants désignés par chaque canton seraient présentés à l'Assemblée des électeurs du département. Tous seraient examinés de nouveau par les médecins et chirurgiens nommés à cet effet, ensuite par les électeurs eux-mêmes, lesquels à haute voix choisiraient les dix enfants qui leur paraîtraient mériter la préférence par la bonne complexion, la taille, l'agilité et les autres qualités du corps. Enfin, sur ces dix enfants, il en serait choisi un au scrutin individuel et à la pluralité absolue des suffrages, et cet enfant serait adressé au Corps Législatif aux frais du département.

Quelques vues sur l'Education du Dauphin adressées au Comité de constitution de l'Assemblée Nationale par Delacroix, électeur du canton de Saint-Mard, district de Sainte-Menehould. (*Archives nationales*, F[17] 1310.)

poterit : insumenda enim cura erit ut illorum, qui in partem studiorum cum Delphino venturi sint, ea sit indoles quæ ad vitia ei insita cohibenda, virtutes vero natura ingenitas exstimulandas conferat.

Quam impense, ut omnia, quæ consilio prævideri possent, caverentur et res in unum omnino vergerent, ab illo scriptore elaboratum fuerit, manifeste apparet ; neque infitiandum est neque ingenium neque artem ei plane deesse. Quid enim aptius, ut Gallia tota educationi Delphini quasi socia adjungatur, quam hanc scholam puerorum ex octoginta tribus Galliæ regionibus collectorum excogitare possis? Quid subtilius ad Delphini educationem, remota omni speculandi specie, inspiciendam, quam hos discipulos continuo commeantes, per quos, veluti testes, rector gymnasii quid puer regius profecerit, quid non, deprehendere valeat ? — Forsan tamen existimabis scriptorem nostrum non hunc finem, ad quem præcipue spectaret, assecutum esse : ante omnia scilicet id in animo fixum destinatumque habebat ut nullum sui ceterorumque puerorum discrimen Delphinus faceret. Quid autem ? Quomodo vel hebetioris ingenii puerum fugisset hanc scholæ temperationem, cujus nusquam similis reperiri posset, sui ipsius causa excogitatam esse, et ideo se non unum e multis esse, sed contra eximium inter ceteros locum tenere?

Multum abest ut tanta cura ad id quod ad rationem studiorum pertineret tunc adhibita sit. Ho-

minum quippe hac ætate degentium animos mentesque, ut ita dicam, illius philosophi præstringebat fama, qui de pueris instituendis librum, qui *Æmilius* inscribitur, non multo ante composuerat. Fere nullus illi, hac saltem in re, fidem non adjungebat: adeo ut vir, qui certe non inter rerum novarum fautores annumerandus est, dum exquirit quis potissimum Delphino præceptor designandus sit, hæc scribere non dubitet : « Si viveret etiam tunc *Æmilii* scriptor, nullus certe alius Delphini præceptor esset eligendus (1). » Unde fit ut summi illius viri vestigiis, dum quæ puer regius docendus esset, perpendebant, insistere omnes satis habuerint.

Ille autem hoc ante omnia præcipit non magna doctrina ad bene vivendum opus esse ; artibus disciplinisque diffidendum ; simplicem animum, rectum judicium sine ullis litteris informari posse; officii præcepta, non ingenii culturam maximi esse momenti. Quæ omnia mirum in modum iis, qui tum de Delphino educando disseruere, placuerunt. Neque enim jam id a rege exspectant ut rerum fiat moderator et arbiter, in cujus manu positæ opes, dignitas, vita omnium civium; nihil contra aliud ab illo postulant nisi ut legibus, quas ipse non tulerit, non modo pareat, sed etiam serviat. « Removeantur procul a nobis, quidam inquit, isti qui nescio qua de causa contendunt reges altiora quam ceteros

(1) *Indication d'un choix à faire d'un gouverneur* pour l'héritier présomptif de la couronne, par un citoyen patriote. (Lb^{39} 5165.)

homines docendos esse. Nonne enim regibus, ut ceteris, studiorum hæc summa est ut discant bene facere quidquid faciendum sit? Quod autem regi summum officium, nisi ut leges revereatur observetque, et civitatis constitutioni semper addictus vivat (1)? » Adeo non ergo studiis reconditioribus Delphino opus est, ut contra fere cavendum ne doctrinam quamdam libentius amplectatur : « Ne hic unquam aut eloquentiæ, aut rei militaris aut artis cujuslibet peritissimus fiat; neque enim eximium opificem, sed eum qui omnibus opificibus præsit, requirimus. » Nimirum, quum ad id præcipue tendat Delphini institutio, ut vix se regis filium esse meminerit, quomodo illum sic educari velint, ut qualibet ex parte inter omnes excellat?

Tunc igitur temporis eo res erant perductæ ut non jam cives quid de rege possent sperare præsertim meditarentur, sed potius ne quidquam metuendus videretur : quod quidem his in disputationibus de Delphino educando plane apparet. Quum enim a viris, qui non in medio civilium certaminum versarentur, conscriptæ sint, quæ fuerit vulgi opinio, bona, ut ita dicam, fide exprimere videntur. Quid autem inde colliges? Regia potestas sane ut aboleatur nondum Galli exoptant; sed non modo Ludovici, ut cui diffidant, potentiam elevare, sed regiam ipsam potestatem circumscribere et in angustiores fines contrahere jam decreverunt.

(1) *L. Bourdon La Crosnière. (Archives nationales,* F[17] 1310.)

CAPUT TERTIUM

SUMMA. — I. Legati suffragiis popularium ad novum concilium efficiendum mense octobri 1791 designati, quum gravissimis curis foris domique distrahantur, quidquid ad Delphinum educandum pertinet per aliquot menses omittunt. — II. Cives contra quid de pueri regii institutione decernendum sit curæ habere non desinunt; itaque per rogationes et litteras a legatis efflagitant ut quamprimum de hac quæstione deliberare velint. (Mense Januario et Martio 1792.) — III. A quodam Delmasio mense Martio compositus libellus hic in breve cogitur. — IV. Ludovicus interea filio suo præceptorem quemdam eligendo legatos prævertit (mense Aprili). — V. De educando Delphino legati tum demum relationem incipiunt. — VI. Ubi vero mense Augusto Ludovicus manifestæ perduellionis reus est factus, de regia potestate actum est, et instituendo puero regio consulere jam supervacaneum est visum.

I

Prima die mensis Octobris, anno 1791, convenere legati suffragiis popularium ad novum concilium efficiendum designati. Qui, quum a consiliis calidioribus non abhorrerent atque modum in omni re tenere minus curæ haberent, quam suspectum regem ducerent haud ita multo post palam declaraverunt. Primum enim concilio habito, haud illi gratulati sunt; eum modo salutatum, non propenso sane animo, sed potius veluti gravatim paucos legatos miserunt. Paulo post non tulere Ludovicum, quotiescumque in consessum veniret, sedem

editiorem quam Præsidem occupare ; placuitque omnem pompam, qua rite ad hanc diem rex inter legatos exceptus fuisset, omnino tolli. « Etenim, ait quidam, si quis homines, quod ad corpora attinet, parere coegerit, animos quoque eorum se ad arbitrium moderaturum jure sperabit (1). » Quum igitur ea in regiam potestatem voluntate plurimi legati essent, eos diligentissime quid ad Delphinum educandum pertineret inspicere voluisse consentaneum putaveris. Per plures tamen menses nulla de hac quæstione apud illos mentio facta est. Tum enim quum hinc sacerdotes, qui novæ Constitutioni parere nollent, turbas et seditiones quotidie domi moverent, illinc patricii exsulantes foris bellum tentarent accendere, gravissimis illis curis legatorum mentes præcipue laborabant. Huc accedebat quod pauci quidem admodum, sed ii natura acerrimi et ingenio valentes, jam regiam potestatem, sine ullo civitatis detrimento, posse everti arbitrabantur ; ceteri autem, numero plures, sed segnitia quadam impediti, hanc de Delphini educatione deliberationem, ut quæ nuper male cessisset, aggredi dubitabant.

II

Apud populum autem longe alius animorum habitus erat. Quamvis enim plurimi valde infensi

(1) Vide *Moniteur*, séance du 5 oct. 1791.

Ludovico jam facti essent, nullus fere regem a civitatis procuratione omnino depellere meditabatur; major contra pars civium non sine regiæ potestatis subsidio mala publica resarciri posse existimabat. Quamobrem ad legatos versi, quanti momenti esset ad Galliæ felicitatem Delphinum quam optime instrui, ultro admonuerunt. Scilicet, mense Januario, anno 1792, in concilium publicum globus quidam virorum ex iis, qui nuper *Bastillam* expugnaverant, conflatus, admissus est; inter quos, qui verba fecit summa vehementia declaravit se suosque, donec manibus hastas retinerent, nunquam passuros patricios rursus rerum potiri; idem simul postulavit ut legati Delphinum, utpote qui æquæ libertatis vindex futurus esset, educandum curarent (1). Neque aliter e provinciis oriundi homines sentiebant. Litteras enim Issioduri incolæ eodem ferme tempore ad legatos miserunt; qui, postquam seditionem circa Lesuram montem concitatam vividis verbis improbaverant, summa vi efflagitabant ne diutius quidquid ad Delphinum educandum spectaret omitteretur; hinc enim pendere ut Gallia, turbis dudum vexata, in unum pace concordiaque coalesceret (2).

(1) Vide : *Chronique de Paris*, 16 janv. 1792.

(2) « Nous voyons l'héritier de la couronne entouré de prêtres ennemis de la liberté et des lois qui l'établissent; ils vont l'enivrer de l'amour du pouvoir arbitraire; ils vont faire son malheur et celui des Français qu'il est appelé à gouverner. C'est à vous, législateurs, à remédier aux maux

III

Haud modo ejusmodi concionibus et litteris, velut obiter, legati ad Delphini institutionem ordinandam incitabantur. Mense enim Martio, Delmasius quidam, illis librum de puero regio educando accurate compositum dedicavit (1).

Qui quidem eo tempore actor primarum partium haud exstitit ; de illo enim nihil comperire potuimus ; eum modo scimus et Dibione vixisse et juris civilis studio deditum fuisse. Non tamen, quia neque rempublicam capessivit neque sibi famam peperit, spernendum eum esse arbitramur. Quippe qui, quum neque singulari ingenio emineat, neque modica cultura careat, neque ex infimo sed mediocri loco sit ortus et in illa provincia vixerit Burgundionum, quos raro æquum animum sanamque mentem defecisse constat inter omnes, is videtur esse qui, quid de hac quæstione major pars civium censuerit, vere referre valeat.

Quo in libro primum animadvertendum nusquam iram aut invidiam adversus Ludovicum sextum decimum apparere ; non quod noster, ut integrum

qui nous affligent aujourd'hui et qui nous menacent dans l'avenir. Vous n'oublierez pas que cet enfant doit être élevé pour la nation. » (*Archives nationales*, F¹ 1092.)

(1) *Système de l'éducation* physique, morale, civique et politique qui doit être suivie à l'égard de Louis-Charles, prince royal, par Delmasse, homme de loi à Dijon. (*Archives nationales*, F¹⁷ 1310.)

judicium ostentaret, elaboraverit ; sed nimirum, quum provinciarum incolas quotidianæ regis amicorum factiones fugerent, non suspiciones, quibus Parisii laborabant, poterant concipere. Attamen non inde sequitur ut Ludovico curam Delphini instituendi ullo modo tradi posse Delmasius existimet: « Quum civitatis, inquit, potius quam parentum puer quilibet sit, puer regius imprimis rei publicæ totus est ; quum rex per populi modo consensum regnet, alumnus semper, nunquam autem patriæ parens dicendus est. » Jus igitur illud, de quo maxime disceptatum fuerat, jam omnibus perspicuum ac probatum sine controversia videtur.

Ut vero Delmasius, quomodo Delphinus educandus sit, ad legatos solos pertinere, ita non ab illis eum, per quem educetur, designandum existimat. Meminerat sane quantam irrisionem movisset index ille famosus a prioribus legatis conscriptus ; intelligebat etiam viros vel scientia civili maxime instructos ad eligendum præceptorem parum aptos esse posse, neque ignorabat in concilio quovis, quotiescumque de privis hominibus ageretur, nimium iræ et studio locum dari. Itaque, ne in scopulos ejusmodi incidatur, quin rex præceptorem filii sui designare possit, non prohibet. Quum vero, ne præceptor nimia apud suum discipulum polleat auctoritate, cavendum esse sentiat, ea disciplina vult Delphinum informari per quam, quibuscumque hominibus, aut rebus, aut temporibus occurrat, utique dignus qui populum liberum

regat evasurus sit. Quid multa ? nihil a præceptore, cuncta ab educatione exspectanda esse ducit. Quod profecto non incauti viri consilium est ; ægre vero id confici posse fortasse noster haud satis est suspicatus : « Hoc, inquit, in disciplina et ratione studiorum Delphino adhibenda propositum habeo ut nullo modo timendum sit, ne illius præceptor, qualiscumque sit et indole et ingenio, totam illius mentem unquam, ut ita dicam, occupet, et ceteris, quæ non ipse docuerit, præceptis aditus occludat. »

Ita opinanti privata solitariaque educatio neutiquam probari poterat, nec placebat magis illud scholæ genus, de qua supra dictum, a multis quidem discipulis, sed a certis pueris delectis celebratæ et ad normam singularem constitutæ ; hoc enim velut in angustiore spatio omnes ambitionis artes tentari animumque Delphini circumveniri posse. Scholas igitur publicas regius puer modo adeat, ait noster, rationemque eam studiorum, quam legati mox publice descripturi sunt, solam sequatur. — Hic sane Delmasium ne paucis quidem verbis, quid de ea ratione studiorum publice definienda sentiret, exposuisse desiderandum. Id tamen ad propositum ejus fere non pertinere animadvertendum est. Neque enim quid docendus sit Delphinus, sed quomodo instituendus, magni esse momenti existimat, nec quæ cogniturus, sed quæ facturus sit in scholis modo respicit.

Hoc enim inter illum et ceteros fere omnes, qui

de Delphino educando opuscula composuere, interest quod, quemadmodum ceteri ad id præcipue animum intendere videntur ut puer regius se regem olim futurum dediscat, ita Delmasius Delphino jam inter condiscipulos potestatis regiæ tirocinium faciendum esse censet. Non satis esse putat si constitutionem civitatis observare didicerit, sed ut rei publicæ administrandæ peritiam acquirat, necesse esse censet : « Scholas, inquit, dum « frequentabit, parvi refert, illum omnes prælec- « tiones assidue obire ; omnia vero omnesque et « audiat et inspiciat. Licet, omni cultus remoto « discrimine, perinde ac ceteri pueri in omni re « habeatur, rex tamen inter æquales omnem apud « scholam quam adierit designetur et regis partes « jam tum agat. Festo itaque diei, quo præmia « discipulis tribui solent, intersit præmiaque ipse « tradat. — Omnibus rebus, quæ ad scholas admi- « nistrandas pertineant, et præsit et consulat ; ne « quid incompte, ne quid aliter ac deceat agatur, « illi videndum ; puerorum exercitia et decursus « moderetur ; agmen condiscipulorum ducat ac ca- « tervam eorum recenseat. Præscripta, ad legum « exemplar instituta, promulganda et observanda « curet ; si quis delictum admiserit, de eo senten- « tiam dici remque judicatam non irritam fieri « jubeat. Quum neque omnia invisere, neque « omnia audire, neque, undecumque arcessatur, « statim possit adesse, in consilium nonnullos ad- « vocet, qui animum incertum confirment et

« onere defessum recreent. Denique, quum ratio « pecuniarum, in quibus scholarum quæstus po- « situs, reddetur, nunquam illum abesse liceat. »

Hunc in modum a septimo usque ad quartum decimum annum Delphinus instituatur ; dehinc, per duos annos, omnes Galliæ regiones continuo invisat, non ita ut in scholas modo huc illuc eat, sed cum omnibus viris munere aliquo fungentibus et cum omnibus civibus sæpe congrediatur. Ædes ubi infirmi senesque aluntur, theatra, tribunalia, carceres, officinas, lapidicinas fodinasque, pontes, vias operaque publica continuo inspiciat, omniumque artium cum opificibus colloquatur. Postquam sic totum regnum percurrerit, jam sedecim annos natus, in partem administrandæ civitatis cum patre veniat ; concilio publico intersit, interdum etiam alicujus ad res publicas adhibiti vicem tueatur.

Hæc omnia atque alia hujuscemodi fusius, et non sine quadam delectatione, Delmasius præcipit; quibus, fatemur libenter, puerilitas quædam intermiscetur. Hæc tamen haud omnino memoria indigna videantur, si quis respicere velit, quinque mensibus ante regiæ potestatis excidium, virum fuisse neque omnino studiorum rudem, neque ingenio hebetem, neque novis rebus infensum, qui omnem curam ad id intenderet ut Delphino disciplinam eam excogitaret qua non modo legi observandæ, sed etiam imperio capessendo non impar evaderet.

Ea autem non erat quæ legatis plurimis placere posset. Itaque nunquam apud illos de Delmasii libro mentionem esse factam videmus. In eo tamen res erat ut, quid de Delphino educando censerent, decernere cogerentur.

IV

Ludovicus enim, quum filius jam septem annos natus esset, sibi expedire intellexit ut, præceptorem eligendo, legatos sine ulla mora præverteret (1). Quod ad munus obeundum, quemdam,

(1) « La formation de la maison civile du roi pouvait être différée sans inconvénient; mais il était important pour Sa Majesté de ne pas laisser passer l'époque fixée pour la nomination du gouverneur du Dauphin, sans user du droit qui lui était encore laissé de nommer à cette place. La première Assemblée avait eu le projet de s'en emparer ou de le rendre à peu près nul, en essayant de s'arroger celui de présenter au roi pour cette place un certain nombre de sujets sur lesquels il serait obligé de choisir. A la vérité, la liste nombreuse et saugrenue, produite par le premier scrutin qui avait eu lieu à cette occasion, avait couvert d'un si grand ridicule la prétention de l'Assemblée, qu'elle prit le parti d'ajourner indéfiniment l'élection définitive. Depuis cette époque jusqu'à celle de sa séparation, la multitude et l'importance des affaires qui avaient rempli ses séances, et plus encore les moyens d'influence employés par la liste civile, et les démarches des agents du ministère auprès des principaux membres du côté gauche, avaient empêché toute délibération ultérieure sur la nomination du gouverneur du Dauphin; mais l'Assemblée n'avait pas formellement abandonné sa prétention, et il était plus que probable que la seconde Assemblée la renouvellerait avec violence. »

(*Bertrand-Moleville.* Mémoires particuliers pour servir à l'histoire du règne de Louis XVI, Paris, Michaud, 1816, I, 342 sqq.)

cui gallice Fleurieu nomen, designavit : virum, et doctrina et moribus commendabilem, qui, nuper rei navali præfectus, probitatem calliditatemque exhibuerat, et, civiles inter simultates, consilia media ac temperata semper potissimum secutus erat. Epistola igitur ad legatos missa, quid consilii cepisset rex denuntiavit. Quod quidem a pluribus male acceptum est. Memorabant nempe nonnulli nunquam antiquatam esse legem qua scitum esset ut, quæ ratio studiorum Delphino esset adhibenda, jus decernendi atque eligendi præceptoris solis legatis attribueretur (1). Haud omnino tamen Ludovicum improbare et, quem elegerat, dignitate dejicere sustinuerunt ; eum modo pædagogum, non præceptorem, esse ducendum (2) le-

(1) « *M. Lasource.* — L'Assemblée Constituante avait décidé que les représentants du peuple, intéressés plus que personne à diriger l'éducation du jeune roi, éliraient le gouverneur de l'héritier présomptif de la couronne ; elle avait même commencé un scrutin pour l'exécution de ce décret. Cette loi existe encore. Cependant je ne discuterai pas la question de savoir si elle a été abrogée par le fait, ou si elle devait l'être ; mais j'observe qu'il y a un article dans la Constitution qui porte qu'il sera fait une loi sur l'éducation de l'héritier présomptif mineur. Je demande que les Comités d'instruction publique et de Législation soient tenus de présenter incessamment un projet de décret à cet égard, parce qu'il importe infiniment qu'on lui donne une éducation conforme à nos vœux, à nos sentiments, à ceux du Peuple Français. Dans ce projet entrera la question de savoir si c'est le roi ou l'Assemblée Nationale qui doit nommer le gouverneur. » (*Moniteur*, n° 110, 19 avril 1792.)

(2) « *M. Kersaint.* — Il n'y a aucun doute que le roi ait eu le droit de faire ce qu'il a fait ; mais il est bon aussi que

gemque insuper rogandam qua, quidquid ad educationem præceptoremque Delphini pertineret, statueretur, decrevere. Quam ut sine cunctatione conderent, nonnullis legatis, qui peculiariter legibus rogandis et scholis publice instituendis operam dabant, res commissa est (1). Illi quidem, quum haud semel in commune de ea re deliberavissent, elegerunt quemdam scientia ingenioque præstantem, qui coram universis legatis, quid proponendum placuisset, referret. Hæc autem relatio, quam perscriptam esse novimus, nunquam in lucem prodita est (2). Procellæ enim civiles jam ingruebant, et mense etiam Augusto, ubi Ludovicus manifestæ perduellionis reus fuit, jam de regia potestate actum est.

VI.

Ea tamen semper fuerat Gallorum erga Borboniam prolem voluntas fidesque, tam sæpe, quantas spes in Delphino reponerent, significaverant, ut eo ipso die quo, imperio Ludovici interim abrogato, rei publicæ legati regimen susciperent,

vous déclariez qu'en acceptant la lettre qui vient de vous être écrite, vous n'entendez rien préjuger sur le fond de la question. Ce n'est pas un gouverneur constitutionnel, mais un précepteur que le roi donne à son fils. » (*Moniteur*, n° 110, 19 avril 1792.)

(1) *Moniteur*, n° 110 du 19 avril 1792.

(2) *J. Guillaume*, procès-verbaux du Comité d'instruction publique de l'Assemblée législative, (Paris, 1889, Imprimerie nationale, 1889, in-8°.)

puerum regium gradu depellere non ausi sint. Imo duo viri (1), qui primas partes tenebant inter illos quibus popularis civitatis placebat forma, auctores fuere legis Delphini præceptorem actutum esse designandum jubentis (2). Duodecimo insuper die ejusdem mensis Augusti, civium globus, postquam in concilium legatorum admissi sunt, postulaverunt ut consuleretur ne regius puer per vim aut dolum Lutetia abripi posset (3).

Mox tamen eo res venisse, ut jam regia potestas tolerari nequiret, plurimi intellexere. In Urbe regum statuæ frangebantur ; ipsius Henrici Quarti qui ad illam diem tanto apud populum studio excultus erat, simulacrum deturbatum. Quid hoc sibi voluerit, haud illepida quidam narratiuncula exponit : « Heri, inquit, dum per Pontem Novum Sequanam transmittebam, quemdam vidi ante locum, ubi nuper Henrici Quarti statua steterat, stupentem. Quem, quum multa secum meditari videretur, tacitus paulisper respexi. Mox autem : « Credisne, inquam, Henrici Quarti, optimi et strenuissimi regis, statuam hic solo æquatam jacere ? — Nonne, ait, hoc et ipse vides ? — At ego : Erras profecto, rerum dulcissime ; non hic Hen-

(1) Vergniaud, Guadet. *Moniteur*, séance du 12 août 1792.

(2) Vide : Decretum de imperio regis ad tempus abrogando: art. 4 : « La commission extraordinaire présentera... dans le jour un projet de décret sur la nomination du gouverneur du prince royal. »

(3) *Moniteur*, séance du 12 août 1792.

ricus Quartus, sed Ludovicus septimus decimus solo prostratus jacet. — Tum noster mirabundus ad me se convertere, rem aliquamdiu in animo reputare ; mox vero, dum discedebam, tristitiam eum paulatim deponere animadverti (1). »

Equidem apud cœtum Jacobinorum rogatum est ne ullus præceptor Delphino eligeretur : supervacaneum videbatur (2) de illius pueri educatione deliberare, quum jam non liqueret num unquam regnaturus esset. Illa igitur regis futuri effigies, quam tamdiu sibi in animo finxerant Galli, ex eo tempore magis in dies abolita et obliterata est.

(1) *Moniteur*, nº du 14 août 1792.

(2) « Le soin de l'éducation du prince royal et la nomination d'un gouverneur pour cet enfant ont semblé à bien des patriotes des liens qui nous rattachaient à une forme de gouvernement qu'il est incertain que nous conservions, qu'il est certain que nous ne conserverons pas, si la Convention n'est pas sourde aux leçons de l'expérience. Pour calmer ces craintes, tout ce qui est relatif au prince royal a été ajourné jusqu'à la Convention nationale. » (*Patriote français*, nº du 14 août 1792.)

CONCLUSIO

Quæ de educatione Delphini disquisivimus, vix ad artem educandi pertinere iterum fateamur necesse est. Nullus enim inter eos, qui libellos de hac quæstione composuerunt, ingenio solertiave neque in intelligentia excolenda neque in moribus informandis eminuit : hic profecto Bossuetius Feneloque desiderantur.

Iis autem, qui rerum nostrarum historiam penitus inspicere cupiunt, aliquid utilitatis fortasse inde percipere licebit. Illas enim disputationes illosque libellos recognoscenti, quomodo sensim in ruinam per duos annos regia potestas se inclinaverit manifestius fiet. Etenim primum, quum de puero regio educando dant operam, nihil amplius exoptant cives nisi ut a corruptis aulicorum moribus pessimisque consiliis vindicetur et benevolentia studioque in populares imbuatur. Mox vero, ut regius puer non ad tutelam civium gerendam, sed quasi civium pupillus instituatur, non publicæ libertatis propugnator, sed popularium arbitrio addictus fiat omnes fere efflagitant.

Illa tamen dum meditantur nulla in Delphinum

invidia flagrant ; quin etiam illum veluti quadam sedula caritate amplectuntur ; bona, ut ita dicam, fide spem futuri regni præsumunt. Unde forsitan colligere possis, non illius ætatis homines cæco, ut quidam dictitant, rerum novarum amore impulsos, quidquid prioris temporis memoriam referret furiose abolere voluisse ; sed contra, quamvis regiam dominationem odissent, regium nomen regiamque dignitatem, nisi a patria descivisset Ludovicus, reverentia etiamtum in longum tempus prosecuturos fuisse.

CAPITUM SUMMA

VIDI AC PERLEGI

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, pridie Idus jan.
ann MDCCCXCV

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus
A. Himly.

Typis Mandetur Academiæ Parisiensis Rector
Gréard.

POITIERS. — TYPOGRAPHIE OUDIN ET CIE.